



P 4

~~P 4~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Primam & vltimam dissertatio-  
idem qui obtulit ceteras  
cum iam in Bibliotheca  
Volam. Diss. Veraplo. & it  
reperiant, excedit.



22.  
19

2. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**CANONE**  
**S. SCRIPTURAE**  
**OBSIGNATO,**

Quam  
RECTORE

ACAD. VITEMBERGENSIS MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECT. SAXON. HEREDE, etc. etc. etc.

PRAESIDE

**DN. IO. GEORG. NEVMANNO,**  
SS. Theologiae Doctore ac Prof. Publ.,  
Consistorii Eccles. Assessore, Templi OO. SS. Prae-  
posito, et Acad. Bibliothecario,

*Domino, Praeceptore atque Amplifica-  
tore studiorum suorum demisse colendo,*

Publicae disquisitioni submittit

**M. GODOFREDVS VICTOR MOEHRING,**  
Ord. Phil. Adiunctus,

Ad D. XXIX. Nov. MDCCCVII.

H. L. 2. C.

---

VITEMBERGAE, PRELO HAKIANO.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

CANONE  
S. SCRIPTURAE  
OBSIGNATO

DR. THEOLOGICO AUCTORE  
FRASEIDE  
DN. IO. GEORGE NEUMANN

SS. THEOLOGICAE DOCTORAE PUBL.  
CONDITUS EST  
Ab M. D. C. C. L. X. IX. Nov. 1719  
M. A. S. C.

VITTEBERGAE PETRO HARTNO



DISPUTATIONIS  
DE  
CANONES. SCRIPTURAE  
OBSIGNATO

§. I.



Um plerique omnes superiorum aetatum haeretici, ad S. Scripturam, velut ad normam suam provocaverint, aut unam saltem, alteramque eius partem arroserint frustillatim; nunc, malis Ecclesiae Indies magis magisque ingravescentibus, eo procedunt audaciae, ut ipsammet Scripturae auctoritatem vel in dubium vocent, vel Giganteo prorsus ausu proculcare sustineant. Surgunt enim, et magno quidem numero in medium hodie prodeunt Bibliomastiges, et eiusmodi Sacri Codicis hostes, qui vel adversa fronte verbi divini maiestatem impugnare, vel clandestinis cuniculis subruere eius integritatem ac perfectionem allaborant: utrique tandem in hoc conspirant, ut corrupto aut labefactato religionis principio, libertati credendi, et, quae huic affinis est, vivendi licentiae, fores undiquaque aperiant.

§. II.

Ac misis quidem in praesenti, quos primum indicabam, Scripturarum tortoribus, sat nobis difficultatis et molestiae creari intelligimus ab illis, qui perfectionem Scripturae S. sollicitant, nec quicquam, quod eius imminuat dignitatem, intentatum relinquunt. Cum enim perfectio S. Scripturae, vel *essentialis* sit,

et Θεοπνευσίας spectet, vel *integralis*, omniumque librorum divinatorum complexum respiciat, vel denique *finalis*, et revelationis consummationem involvat: non equidem nunc de eo contendimus: *num quaedam vel omnia divinitus inspirata sint?* nec, *an quidam libri e canone exciderint?* nec porro, *mutilatusne canon, aut depravatus fuerit?* an item *contineat omnia, quae ad fidem et vitam hominis Christiani necessaria sint?* et quae sunt huiusmodi, de quibus nobis, cum Pontificiis potissimum controversiae intercedunt. Sed illa demum praesentis instituti est quaestio: *utrum canon S. Literarum ita perfectus et consummatus sit, ut nulla posthinc revelatio ex voluntate DEI debeat expectari?*

### §. III.

Quoniam vero non unius, eiusdemque auctoritatis sunt libri codicis sacri, sed alii singulari DEI impulsu editi et consignati, alii vero ex hominum voluntate, studioque profecti; iam olim ex unanimi veteris Ecclesiae sententia, in *Canonicos* et *Apocryphos* distributi sunt; cuius tamen divisionis cum *denominatio*, tum *definitio* ante omnia evolvenda est, ut dehinc ad Canonis *incrementum*, ac ipsam denique *ultimam* eius *obsignationem*, ordine progrediamur. Ac *Canonicos* quidem libros, constat, a canone sic dictos fuisse, eo, quod in regulam fidei iuxta ac vitae promulgati sint, *ὄνομα Θεόλας* ratione haud dubie ex illo classico desumpta: *qui secundum hunc canonem incedunt, super illos sit pax et misericordia; Gal. VI, 16. conf. Phil. III, 16. Ps. XIX, 5. Ies. VIII, 20.* Tum vero et aliis, sive elogiis, sive nominibus a vetustate insigniti sunt, ut ab *Apocryphis* illis, et *Ecclesiasticis* distinguerentur. Ita ἐνδιαθήκης illos vocat Origenes, i. e. Testamentarios, ἀπὸ τῆς διαθήκης:

407

*non est ignorandum, inquit, εἶναι τὰς ἐνδιαθήκας βί-  
 βλους, esse libros testamentarios, ut Hebraei tradunt, duos  
 et viginti, Cap. III. Philocal. p. 24. Et Eusebius de postero-  
 ri Petri Epistola affirmat, quod illam ἐνδιαθήκῃς  
 olim annumerare dubitarint nonnulli, Lib. III. H. E. c. 3. p.  
 72. Ratio huius denominationis apud Epiphanium oc-  
 currit, qui libris Apocryphis ideo minus auctoritatis  
 tribuit, quod in arca Testamenti, ἐν τῇ τῆς διαθή-  
 κης κιβωτῶ repositi non fuerint. Cum enim dubia et  
 occulta eorum origo esset, διὸ (μὴ) ἐν τῶ Ἀρῶν ἀνε-  
 τέθησαν, τὸ εἶν ἐν τῇ τῆς διαθήκῃς Κιβωτῶ,  
 ideo (non) in Aron repositierant, h. e. in arca Testamenti,  
 inquit Epiphanius de ponder. et mens. p. 162. Sic enim  
 negandi particulam (μὴ) a librariis omissam restituen-  
 dam censet Petavius *Notis ad b. l.* ne sensu, quem nexus  
 postulabat, penitus destituatur oratio. Proinde qui  
 canone divino continebantur libri, hos solemnī formu-  
 la כְּבִרְוֹיָהוּ e. in arca testamenti reconditos dicebant Iudaei,  
 eoque discernebant a spuriiis, qui inde removebantur,  
 uti observat B. Dorscheus *Theol. Zach. P. II. p. 79.* Nec  
 alienum illud est a prisco libros custodiendi more,  
 quem DEVS Israëlitis iniunxerat: *accipite librum Legis  
 Domini, et ponite illum a latere arcae foederis Domini DEI  
 vestri, ut sit ibi apud te in testimonium, Deut. XXXI,  
 26.* Atque hanc causam arbitror esse, cur Aposto-  
 lus istum S. librorum codicem, παραθήκην s. depo-  
 situm appeller, semelque ac iterum hortetur Timothe-  
 um, ut *sedulam huius depositi curam habeat, 1 Tim. VI,  
 20. 2 Tim. I, 12, 14.* Quod enim, ut pretiosissimum  
 aliquem thesaurum olim asservatum meminerat, id  
 pari fide atque sedulitate ad posteros quoque trans-  
 mitti*

mitti volebat. Deinde et ἐνδιάθετοι dicti libri Canonici sunt, nomine Patribus quam maxime frequentato. Πάσαις ταῖς ἐνδιαθέτοις πείθομαι, Origenes inquit: i. e. omnibus libris in canonem receptis assentior, *Dial. contra Marcionitas p. 136. ed. Wetsteinii.* Διατιθέναι enim Patribus est Canonem constituere, ἐνδιατιθέναι in canonem ponere, notante Suicero in *Thesauro Eccles. p. III.* Vnde Damascenus βίβλος ἐνδιαθέτης pro Canonicis habet *L. IV, c. XVIII, p. 348.* et Isidorus Pelusiota: ἔδὲν, scribit, τῶν ἐνδιαθέτων καὶ κεκανονισμένων βιβλίων δεῖ προτιμᾶν εἰς ἀνάγνωσιν. *Adlectionem, quod attinet, nihil indubitatis et Canonicis libris praefereendum est. Lib. 1, Epist. 369. p. 96.* Vbi ἐνδιάθετοι libri cum ipsis Canonicis manifesto permutantur, ut ne plura nunc adferam. Praeterea observes ῥητὸς etiam appellari eosdem libros, sensu perinde emphatico, planeque notabili. Sic Epiphanio semel iterumque ῥηταὶ γραφαὶ καὶ ἐνδιάθετοι vocantur, *de pond. et mens. L. cit. et Haeres. LV, p. 68.* quasi germanae dicerentur et canonicae, uti reddidit Petavius. Antiquis enim τὸ ῥητὸν idem erat, ac *rectum definitumque*, qua ratione *lineam*, et *quadratum ῥητὴν εὐθείαν* καὶ ῥητὸν *τετράγωνον* salutabant, certo, ut apparet, indicio, diviniore illas Scripturas ad amiffim quasi ac regulam confectas, iustoque numero definitas esse, reliquas nec regulae officium sustinere, nec εἰς ἀριθμὸν τῶν ῥητῶν referri, ut loquitur Epiphanius l. c.

§. IV.

Ceterum *Canonis* notio apud Veteres non semper

per



per eadem fuit. Aliquando enim *ἀνύκτως* et late sum-  
ptus catalogum librorum omnium notabat, qui in Ec-  
clesia, *ὁμοδομῆς ἕνεκα* et institutionis causa lege-  
bantur; aliquando *κρυβῶς* et *striete* acceptus illorum  
tantum librorum numerum involvebat, qui sine om-  
ni exceptione divinitus inspirati, et in fidei vitaeque  
regulam posteritati concrediti fuerant. Alter, *canon Ec-  
clesiasticae lectionis*, alter vero *canon fidei confirmationis*  
Theologis dici consuevit. Ille permittebat Ecclesiae  
cum publice, tum privatim legere Apocryphos in vi-  
tae morumque emendationem; hic vero a confirman-  
dis fidei capitibus removebat illos, nec nisi libros in-  
fallibilis auctoritatis recipiebat. Atque hic vocabuli ab-  
usus post quadringentos demum annos a nato Ser-  
vatore invaluit, cum in Concilio Carthaginensi III. cui  
S. Augustinus etiam interfuit, *Can. XLVII.* vel, iuxta  
collectionem Beveregii *C. XXVII.* libri Apocryphi, du-  
biique Canonicis accenserentur: *Placuit, ut praeter Ca-  
nonicas Scripturas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divi-  
narum Scripturarum. Sunt autem Canonicae Scripturae  
Genesis, Exodus, Leviticus etc. Tobias item, Iudith etc.*  
ubi generalem Canonis acceptionem Patres Concilii  
explicant, subiungentes, *bunc esse canonem, quem a Pa-  
tribus in Ecclesia legendum, non ad fidem confirmandam,  
acceperint.* Conf. ad eundem Scholiastas apud Bevere-  
gium *Pand. Can. p. 549.* Ipsi etiam Augustino Canoni-  
cum illud omne erat, quod in Ecclesia legebatur, sive  
ad confirmationem fidei id faceret, sive ad aedificatio-  
nem morum; Apocryphum contra illud, quod pro  
spurio, fabuloso atque impio omnium iudicio habeba-  
tur. Nam, ubi libros Biblicos recenset, non tantum  
germanos illos, vereque divinos ordine numerat, sed  
etiam

etiam librum *Sapientiae*, et *Ecclesiasticum* eo refert, et, licet utrumque Salomonis esse neget, tamen inter *propheticos* numerare non dubitat, *dignosque censet, qui in auctoritatem recipiantur. Lib. II. de Doctr. Christi. C. VIII.* Ex aduerso autem de Apocryphis, i. e. libris suspectis, Prophetisque et Apostolis subdole affectis sic pergit: *omittamus igitur earum Scripturarum fabulas, quae Apocryphae nuncupantur, eo, quod earum occulta origo non clauit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione peruenit. In his autem apocryphis, etsi inueniatur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est earum Canonica auctoritas.* Ecquos vero libros designare putes Augustinum? non fane Ecclesiasticos illos, quos Canoni laxius sumpto ante accensuerat, sed spurios ac fabulosos, ab Haereticis maximam partem cufos, quando ita subiicit: *multa sub nominibus Prophetarum, et recentiora sub nominibus Apostolorum ab Haereticis proferuntur, quae omnia sub nomine Apocryphorum, auctoritate Canonica, diligentis examinatione remota sunt. V. de Civit. DEI L. XV. c. XXIII.* ibidemque Ludov. Vivem in Notis.

S. V.

Ex quibus haud difficulter colligitur, IVto fere et Vto post natum Servatorem seculis, libros, quos Ecclesia cum a Synagoga, tum ab Apostolica aetate acceperat, tergemini fuisse discriminis: alios quidem *ἁγιόγραφους* vereque *Canonicos*, quibus catholica fides unice innitebatur; alios *Ecclesiasticos*, qui ad institutionem plebis, publice privatimque, legebantur; alios denique *Apocryphos*, quorum, ob errores admistos, fabulasque hinc inde adspersas adeo nulla erat auctoritas, ut ne digni quidem lectione publica iudicarentur. Quae quidem omnia hoc diligentius expendenda nobis

nobis sunt in praesenti, quo propius ad nostrum col-  
lineant scopum. De primi generis libris, nihil quic-  
quam dubii est; at de posteriori utroque Hierony-  
mus ita diserit: *sicut Iudith, et Tobiae, et Maccabaeorum*  
*libros legit quidem Ecclesia, sed eos in Canonicas Scripturas*  
*non recepit, sic et haec duo volumina: Panareton Iesu filii*  
*Sirach librum et Pseudepigraphum, qui sapientia Salomonis*  
*inscribitur, legat ad aedificationem plebis, non ad auctorita-*  
*tem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, Praef. in Libr.*  
*Salomonis.* Sed ab Apocryphis, spuriiisque lectorem ita  
retrahit: *caveat Apocrypha, et, si quando ea non ad do-*  
*gmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere vo-*  
*luerit, sciat, non eorum esse, quorum titulis praenotantur,*  
*multaque his admixta vitiosa, et grandis esse prudentiae, au-*  
*rum in luto quaerere. Epist. VII. ad Laetam.* Ruffinus au-  
tem, aemulus Hieronymi haec librorum genera con-  
iungit, quando a Canonicis ad Ecclesiasticos, et dehinc  
ad Apocryphos transit: *sciendum est, quod et alii libri*  
*sint, qui non Canonici, sed Ecclesiastici, a maioribus ap-*  
*pellati sunt; ut est Sapientia Salomonis, et alia Sapientia,*  
*quae dicitur filii Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso ge-*  
*nerali vocabulo, Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non*  
*autor libelli, sed Scripturae qualitas cognominata est. Eius-*  
*dem ordinis est libellus Tobiae, et Iudith, et Maccabaeorum*  
*libri. In novo vero Testamento libellus, qui dicitur Hermae,*  
*qui appellatur duae viae; vel iudicium Petri, quae omnia*  
*legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad au-*  
*thoritatem ex his fidei confirmandam. Haecenus de Ec-*  
*clesiasticis, a quibus apocryphos haud obscure discer-*  
*nit: ceteras vero Scripturas apocryphas nominarunt, quas*  
*in Ecclesiis legi noluerunt. In Exposit. Symboli, quae apud*  
*Hier. extat T. II. Oper. p. 66.*

B

§. VI.

Quemadmodum igitur tria haec librorum genera iudiciis sat claris distinguebant Veteres, nec minus perspicue, quid *Canonicorum*, aeqve ac *Apocryphorum* nomine intellexerint, docebant: ita vicissim, qui libri in canone Ecclesiasticae lectionis fuerint, eoque *Ecclesiastici* dicti, et intermedio quasi loco habiti, non est peraeque manifestum. Cum enim ex unius Ecclesiae arbitrio et decreto libri nonnulli ad aedificationem plebis deligerentur, ideoque ἐκκλησιαστικά, i. e. *recipi in Ecclesiam*, dicerentur, verbo Patribus familiari; mirum non est, Ecclesiasticos eiusmodi libros et numerari diversimode, et recitari. Sane, non tantum *liber sapientiae*, *Ecclesiasticus*, *primi Maccabaeorum*, *Tobiae*, *Iudithae*, et similes, cum ante, tum post Christum natum scripti in Ecclesiis legebantur; sed et multo plures, et illi quidem recentiores, quorum alii approbati, dignique lectione visi, alii vero reiecti sunt. Non libet canonibus, qui Apostolorum nomen prae se ferunt, dubiaeque cum aetatis, tum auctoritatis sunt, inhaerere; quia tamen non contemnendam antiquitatis partem faciunt, et disciplinam, Apostolorum temporibus usitaram, tradunt, vel ex ultimo, qui extat, canone scilicet *LXXXV.* iuvat cognoscere, qui olim libri ad *canonem Ecclesiasticae lectionis* spectarint. Nam *V. T.* adiungit tres Maccabaeorum libros, et enumeratis omnibus addit: *in super et extra bos addiscenda traditur adolescentibus nostris Sapientia eruditissimi Siracidae.* Nov. autem *T.* libris apponit duas Epistolas *Clementis*, quarum alteram olim in Ecclesia lectam fuisse Eusebius tradit *H. E. L. III, C. XIV*, alteram vero non perinde magnam auctoritatem obtinuisse, idem refert *L. III, C. III.* Attamen,

men; cum utraque uno compacta volumine fuerit, et illo quidem in Regia Bibliotheca asservato, conicit eruditissimus Beveregius, ambas quoque in canonicorum librorum censum, uti canon hic imperat, relatas fuisse. *Annot. ad b. l. p. 40.* Ceterum et Athanasius post recensitos XXII. V. T. libros Canonicos aliqvot adiungit Ecclesiasticos: *praeter istos sunt adhuc alii eiusdem V. T. libri non-Canonici, τὰ ἀναγιωσκόμενα μόνον τοῖς κατεχόμενοις, qui catechumenis tantum legantur.* Refert autem inter τὰ ἀναγιωσκόμενα, *Sapientiam Salomonis, sapientiam Siracidae, librum Estherae, Iudithae, Tobiae, et de his concludit: Τοσαῦτα καὶ τὰ μὴ κανονιζόμενα, isti sunt libri Veteris Instrumenti non Canonici:* probe autem gnarus librum Estherae Canonicis accenseri, pergit: *quidam vero ex Veteribus apud Hebraeos pro Canonis reputari dixerunt librum Esther.* *Synopsi S. Script. p. 59.*

§. VII.

Crevit successu temporum, *Ecclesiasticorum librorum* numerus, quo magis quidem *canonum Ecclesiasticorum* seges crevit, et quarto iam seculo *Psalmi* quidam *Salomonis*, qui Graece extant, in Ecclesia legi coeperunt, unde Patres Synodi Laodicensae adducebantur, ut spurium hunc foetum a canone lectionis Ecclesiasticae summoverent: ἔδει ἰδιωτικῶς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἔδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνον τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης i. e. *non oportet privatos Psalmos in Ecclesia legi, nec libros non-Canonicos V. et N. T.* In quem locum Balsamon Scholiastes: *inveniuntur, inquit, quidam Psalmi praeter centum et quinquaginta Davidis Psalmos, qui dicuntur*

cuntur esse Salomonis, et quorundam aliorum. Patres ergo eos pr̄ vatos nominantes, statuerunt, ut neque ii, neque aliquid aliud in Ecclesia legatur, quod non sit ex iis, quae sunt enumerata in Canone LXXXV. Apostolico. Quem quidem Graeculi cuiusdam foetum, cum partem librorum divinatorum facere non dubitaret Ludov. de la Cerda, ideoque ex Augustana Bibliotheca denuo produceret, νοθείας convicit illum Dn. Praeses, nec aliud, quam Hellenisticum quoddam opusculum esse iam olim ostendit *Disp. de Psalterio Salomonis*, quae in *primitiis Eius Academicis* reperitur.

§. VIII.

Qui proinde ex ultima antiquitate asservati sunt, et hodiernum Codicibus Biblicis inseruntur libri, antiquo illo et pervulgato *Apocryphorum* nomine efferuntur. Cuius quidem vocis originatio et ipsa est dubia. Veri tamen simillima illa Athanasii ratio videtur, qui inde sic dictos esse existimat, quod ob vitia, quibus laborabant, ἀποκρυφῆς μᾶλλον, ἢ ἀναγνώσεως ἀξιοί, latibulo potius, quam lectione digni iudicati fuerint, *Synops. l. c.* Solebant enim libri de erroribus suspecti ἀποκρύπτεσθαι, i. e. occultari ac privatim haberi; probatiores vero ἐκκλησιάζεσθαι, s. in Ecclesiam inferri, et ad emendationem morum adhiberi. Quam proinde causam esse iudico, cur sapientia Siracidae liber *Ecclesiasticus* appelletur; quia nimirum prae ceteris dignus habebatur, qui ob regulas morum pulcerrimas in canonem *Ecclesiasticae lectionis* reciperetur. Quod quidem ἔτυμον Hebraeorum quoque instituto respondet, quibus libri humano consilio scripti, et privatis tantum usus destinati sunt כְּסוּפִּים, a כָּסַב abscondere, reponere et asservare, unde quaedam Talmudicorum regula

regula extat: *liber legis, in quo sunt duo errata in unaquaque pagina, emendabitur, si tria, reponetur vel occultabitur*; apud Buxtorf. *Lex. Talm. p. 457.*

§. IX.

Equidem sunt, qui nimium tribuunt hisce libris, ut Pontificii, et, qui horum vestigia in multis legunt, Novatores. Illi, ut suis velificentur hypothesebus de purgatorio, B. Operum necessitate ad salutem, et aliis, quo nomine semper vapulare mihi visus est doctissimus Huetius, qui apodixi Euclidea divinitatem horum librorum evincere aggressus, methodum, quam ostentat, Mathematicam, tantum non ludibrio exposuit. Hi contra ideo lectionem illorum prae ceteris suadent, quod Platonismi reliquias in iis deprehendunt, de μετεμψυχώσεσι, de animae ἀποκαθάρασει, προουπαρξία, de corpore, animae ergastulo, et similibus, unde Sophiae Platonicae idolum hinc effabricaturus Arnoldus, in libro *Sapientiae*, malae causae vestigia reperit, quam ob rem illum pari cum divinis et indubitato canonicis gradu collocet, et pro divinitate eius contendat, de *Myst. Sophiae p. 16, 17.* Ex adverso autem Reformati nimis elevant et propemodum nauseant hos libros, nec legi publice permittunt. *Apocryphos*, Gernlerus inquit, praestat, non legi publice. *Nec enim auctoritate Apostolica lecti fuerunt unquam: nec nisi aegre ad hunc honoris gradum in Ecclesiis quibusdam admissi. Certum, lectionem erroris eos canonizanti ansam dedisse. Nos Ezechiam imitati 2. Reg. XVIII, 9. merito de sanctuario illos deturbamus, ex quo sufficium illis adoleri, divinumque honorem tribui animadvertimus. Publica non divinatorum lectio divinos e manibus excussit populo. Futurum, si ordine recurrente, perinde ut Canonici, legerentur, ut progressu temporis canonizentur.*

zantur, metus minime vanus est, cum appareat, quantum etiam, ubi non legantur, iis tribuat plebecula. Legantur privatim, praesertim Sapiaentia, Ecclesiasticus, Baruch, qui ferè defecationes. Legantur, ubi humanis de argumento sacro concertationibus locus est. In Ecclesia solum DEI verbum populo proponatur, et tum lectionum pericopae, tum concionum textus ex solis libris Canonicis petantur. Diff. de libris Apocryphis p. 497. Conf. Hornb. Misc. lr. p. 36. Heideg. in Enchir. p. 496. Itaque in Synodo Dordracena eff. nona atque decima de coniunctione librorum Apocryphorum cum Canonicis acriter disceptatum est. Erant, qui segregandos esse serio pertenderent, nec deerant, qui coniungendos suaderent; tandem vero rationibus ultro citroque agitatæ potioribus suffragiis statutum fuit: praestare quidem, libros hosce Apocryphos S. Scripturis nunquam adiunctos fuisse; interim placere, eos hoc tempore, sine aliarum Ecclesiarum consensione et approbatione, a corpore voluminis Biblici non segregari; sed eidem adiungi, adhibitis his conditionibus, ut a libris Canonicis iusto aliquo interstitio et peculiari titulo discernantur, in quo diserte moneatur, hos libros scripta esse humana, ut iis exacta praefigatur praefatio, in qua lectores tum de auctoritate horum librorum, tum de erroribus, qui illis continentur, accurate erudiantur; ut aliis minoribus typis excudantur, et in margine annotentur loca ac refutantur, quae cum veritate librorum Canonicorum pugnant. Et, quamvis hætenus libri illi in S. Codicis volumine, loco inter libros V. et N. T. Canonicos medio, inserti fuerint, quod historiae ratio hunc illis locum assignare videatur; tamen, ut populus tanto melius eos a scriptis Canonicis discernere atque internoscere discat, placere Belgicis (exteris se hic excusari petentibus) ut in nova  
versio



versionis editione ad calcem omnium librorum, Canonico-  
rum etiam, reiiciantur. *Vid. Acta Synod. Dordr.*  
*p. 30, 31.* Quibus quidem legibus adstricta Apocrypho-  
rum editio Belgico idiomate mox prodiit. Interim ta-  
men editores Bibliorum Tossani, retento prisorum  
Codicum ordine, ad calcem Veteris, non Novi Testa-  
menti librorum eosdem reposuere.

§. X.

Nobis, quod semper suadet ratio, media inceden-  
dum via esse, iudicamus. Tametsi enim erroribus sat  
gravibus, fabulis item et frigidis sententiis referta sint  
haec monumenta, eoque a divinis et canonicis ab ortho-  
doxa antiquitate pridem remota; tamen cum notati pri-  
dem in iis naevi, atque ad fidei analogiam revocari sint,  
adhuc dum asservantur in corpore Biblico, et citra se-  
ductionis periculum leguntur. Sunt enim in his libris  
nonnulla, quae ad antiquitatis et illorum temporum  
cognitionem faciunt, quibus, confecto V. T. Canone,  
revelationes Prophetarum cessarunt. Sunt alia, quae  
plurimum emolumentum afferunt ad excolendam mo-  
rum doctrinam, sic, ut unius Siracidae liber sit com-  
prehensio praeceptorum, exemplorumque ad virtu-  
tem ducentium, quibus ex veterum iudicio omnis in-  
stitutio continetur. Indeque olim dictus *πανάρετος*  
fuit. Et sponsor sim, plus prudentiae moralis, civi-  
lis et oeconomicae in illo compendio, quam in sinuo-  
sis Platonis atque Aristotelis voluminibus, deprehen-  
di. Ut enim illi non inutilibus abundant praeepti-  
onibus, atque ad honestas et praeclaras actiones lecto-  
rem invitent, tamen ex societatis et reipublicae causis  
pleraque omnia metiuntur, nec, ad exemplum Sa-  
pientis nostri, ex fide, veroque DEI cultu, summam  
homi-

hominis felicitatem et salutem derivant. Hic enim *beatum* pronunciat *hominem*, qui *sapientiam invenit*, i. e. veram colendi DEI rationem, inde et ad timorem veri DEI in scriptis Prophetarum revelati lectorem suum monitis et exemplis impellit. Denique, quod primo adducendum loco erat, insigne in iis libris relucet testimonium, Ecclesiae scriptis Prophetarum et Apostolorum superstructae: quod cum ab erroribus undiquaque immune non sit, vel hoc ipso argumentum relinquit, quantum divina humanis, certa et indubitata dubiis anteferri oporteat.

§. XI.

Ceterum et in his partiendis mire dissentiunt Auctores, quando alii plures, alii pauciores enumerant. Quidam hosce libros a suis appendicibus distinguunt, quo *fragmentum Estherae*, *utrumque Esdrae*, *librum IV. Maccabaeorum*, atque id generis alia referunt. Nobis prae ceteris illa partitio probatur, qua libri Apocryphi generatim dispefcuntur in *Ecclesiasticos*, et ab *Ecclesiae lectione remotos*. Illi a divinis et Canonicis distincti, ideo hoc nomen acceperunt, quod digni prae ceteris sunt habiti, qui Canonicis libris inserti, et privatim, et nonnunquam publice legerentur in Ecclesia, si non ad auctoritatem fidei confirmandam, tamen ad perhibendum de fide testimonium, ad conservandam rerum in Ecclesia gestarum memoriam, atque ad virtutis studium latius propagandum.

§. XII.

Sunt autem *Apocryphi*, ut vocantur, *Ecclesiastici*, vel *morales*, ut *liber Sapientiae*, et *Sapientia Siracidae*, vel *historici*, iique vicissim *anægwtales*, et verius *dramatici*, ut *Tobias*, *Baruch*, *liber Iudith*,  
*Estherae*

*Estherae additamentum, Historia Susannae, itemque Historia Belis et Draconis, Hymnus Azariae, et Canticum trium puerorum: vel Historici proprietates, qui res gestas nar- rant, ut Liber 1. et II. Maccabaeorum, quibus durior Ecclesiae fortuna describitur, quae Iudaeos, modo sub Tyrannis gementes, modo sub Ducibus nonnihil respirantes exercuit, donec bellis maxime intestinis univ- versa propemodum illorum respublica conficeretur. Contra vero Apocryphi, et ab Ecclesiae lectione remoti, ob- scuriores illi et spurii sunt, quos Ecclesia pridem pro reiectaneis habuit, eoque Codici Biblico rarius inseruit. Cuiusmodi sunt: Liber III. et IV. Maccabaeorum, Liber III. et IV. Esdrae, Psalmus CLI., Oratio Manas- sis, appendix libri Iobi, fragmentum Siracidae, praefatio Threnorum Ieremiae. Extant et Apocrypha N. T. Apo- stolorum nomine iactata, qualia sunt: Epistolae Paul- ti ad Laodicenses, et ad Senecam: Epistolae Petri ad Iac- cobum: Evangelium Thomae: Protevangelium Nicodemi, e- magno numero complura, quae uno codice CL. Vir, D. Fabricius collegit, castigavit, itemque censuris et a- nimadversionibus egregiis illustravit. Iam, si cum Pon- tificiis disputes, non est quaestio, de Libris Canonicis pro- prie dictis, quippe quibus canonicam auctoritatem non denegant; neque de Apocryphis, ab Ecclesia remotis, cete- risque reiectiis, paullo ante memoratis, quippe quos ipsi quoque pro apocryphis, spuriisque habent; verum de libris, ceu vocamus, Ecclesiasticis, et illi quidem sunt, quos pro Canonicis nobis invitis et repugnantibus ob- trudere Romana Ecclesia conatur.*

§. XIII.

Sed in his talibus, cavendum est, ne iusto si- mus prolixiores; quin potius pergendum ad defini-  
C tionem

*sionem et naturam* librorum Canonicorum, non mino-  
 ribus, ut constat, difficultatibus obnoxiam. Ut enim  
 summam rem exprimam: *libri Canonici sunt scripta*  
*θεοπνευστα*, Ecclesiae eum in finem tradita, ut fidei, vi-  
 taeque regula in Ecclesia perpetuo existerent. Alia proinde  
 sunt, quae Librum Scripturae Canonicum faciunt, alia  
 quae declarant atque demonstrant. Natura enim, seu res  
 ipsa distinguenda est a suis *ἡγουμένοις*, quibus illa nobis  
 manifestatur. Duo sunt igitur, quae librum Canoni-  
 cum essentialiter constituunt: (1) *θεοπνευστα*, s. divina  
*inspiratio*, (2) *canonisation*, s. dispositio divina in constitu-  
 enda regula fidei ac morum, quae perpetuum in Ec-  
 clesia usum retineat. Tenendum est, B. Calovius inquit,  
*ad librum Canonicum duo necessario requiri, nempe θεο-*  
*πνευστα*, s. immediatum DEI impulsus, qui facit, ut  
*scriptum aliquod sit divina veritas, seu ipsius DEI verbum,*  
*2. Tim. III, 16. 2. Petr. I, 21. tum canonisationem, ut ita di-*  
*cam, divinam, qua DEVS scriptum suum verbum Ecclesiae*  
*constituit regulam in his, quae credenda sunt et agenda.*  
*Istud originem, hoc finem concernit librorum sacrorum Ca-*  
*noni destinatorum divinitus. Crit. S. p. 237. Conf. Eiusd.*  
*Syst. Theol. P. I. p. 492. Id quod B. Osiander repetit eo*  
*loco, ubi ex instituto difficillimum hoc argumen-*  
*tum pertractat. Praemonendum, quod ad normam, sive*  
*canonem stabilem requiratur (1) inspiratio divina, ex qua*  
*liber aliquis habet, quod sit divinus; (2) constitutio illi-*  
*us in ratione regulae Ecclesiae destinatae, quod respicit fi-*  
*nem. Quanquam enim liber aliquis sit divinus; non tamen*  
*confestim censendus est canonicus, praesertim, si de canone*  
*universali et perpetuo sit sermo, qui divinam intentionem*  
*consecratam in hunc usum una requirit. Theol. Pos. Acroam.*  
*Exerc. XXII, p. 346.*

§. XIII.

§. XIII.

Quod ut aliquanto clarius explicemus, initio per θεοπνευσίαν, istud conficitur, ut intelligamus: (α) *auctorem* libri Canonici esse *divinum*, immo DEVM ipsum, 2. Tim. III, 16. (β) *Scriptores* immediato DEI impulsu actos fuisse, 2. Pet. I, 21. (γ) *materiam* s. *res* in eodem contentas esse *divinas*, καὶ ἀληθῶς τὸν λόγον τῶ θεοῦ, 1. Thess. II, 13. (δ) *formam*, *rationemque* scribendi non ex humana, sed divina sapientia profectam esse, 1. Cor. II, 13. sive τὸ πῶς, καὶ τὶ τῶ λαλῶν spectes, Matth. X, 20. sive τὴν γραφὴν ἀκριβεσέραν, Luc. I, 3. denique (ε) ipsos *effectus* supernaturales atque divinos esse, Rom. I, 16. Vnde vero haec θεοπνευσία nobis innotescat, illud ad κριτήρια pertinet, de quo deinceps: Interim tamen sola illa non sufficit ad constituendum librum Canonicum. Nec repugnat, ut probe monet Calovius, *libros dicere θεοπνεύστους s. divinos, et negare tamen esse κανονικούς s. testamentarios*; cum omnino potuerint divina inspiratione consignari libri, qui non consequerentur Canonis dignitatem; non quod indigni canone fuerint, nihil enim a DEO inspiratum canone indignum censeri potest, sed quod canoni ex intentione divina non essent consecrati. Nam tametsi gaudeat liber divinus, qua talis, ea praeceminentia et dignitate, ut canon esse possit Ecclesiae; commendandus tamen est Ecclesiae divinitus, ut Canon actu sit. Crit. S. p. 237. Itaque, Liber bellorum Domini, Num. XXI, 14. itemque Liber iusti, Ios. X, 13. annales rerum a Iosua gestarum complexus; Liber verborum Salomonis, 1. Reg. XI. 41. acta Salomonis publica et Ecclesiastica exhibens; Liber dierum Regum Israelis et Iuda, ib. c. XIV, 19, 29. diarium haud dubie et Chronicon Regium, quo res publicae regia potestate consignatae fuerant; Verba

*Chozai*, 2. *Paral.* XXXIII, 19. forte ministri cuiusdam Politici vel Ecclesiastici Manassis; *Verba Vziae* scripta ab Esaiâ, *ibid.* c. XXVI, 22. historiam civilem et Ecclesiasticam Vziae Regis tradentia; *Tria millia Parabolarum Salomonis* et *cantica*, 1. *Reg.* IV, 32, 33. Hi, inquam, et similes libri, siue profani fuerint, nihil eorum iactura derogat canoni, siue sacri ac divinitus inspirati, tamen ideo Ecclesiae traditi non erant, ut in publicum Ecclesiae canonem referrentur. Rursum, siue *omni* tempore infervierint Ecclesiae, eidemque vel catholicae, vel particulari, siue *certo* saltem ac definito tempore durare debuerint in coetu credentium; nihil certe hinc efficitur aliud, quam libros divinos alios in canonem *temporarium*, alios in *perpetuum*; alios vicissim *in universalem*, alios in *particularem* Ecclesiae usum destinatos fuisse, canone nihilominus, quem DEVS destinatum voluit, Ecclesiae salvo ac integro persistente.

§. XV.

Cum itaque sola, ut patet, *Θεοπνευσία* non constituerit librum Canonicum; accedere insuper *divina canonisatio* debebat, s. authentica illa consecratio, per quam *Θεόπνευσα* monumenta, velut sacra quaedam pignora curae, fideique Ecclesiae commenderentur. Plurimum autem refert, hanc paullo diligentius scrutari doctrinam, quum minori haecenus, ac rei dignitas postulabat, opera exulta videatur. Ac I. quidem auctor huius consecrationis non *Ecclesia*, ut post ceteros Pontificios Richardus Simonius contendit *H. Crit. V. T. p.* 80. sed *ipse DEVS* est; cum minime Ecclesiae, ceu fundamento superstructum sit DEI verbum, sed ipsamet Ecclesia *inaedificata sit scriptis Prophetarum et Apostolorum*, *Eph.* II, 20. Qua de causa

σῦλος

στήλος καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας, i. e. *columna*  
*et stabilimentum veritatis*, cum a verbo veritatis ere-  
 cta et stabilita sit, appellatur. *1. Tim.* III, 15. DEVM autem  
 hos libros in perpetuum Ecclesiae usum destinasse,  
 fat manifesta, si non speciatim de singulis, attamen ge-  
 neratim de universis, testimonia leguntur. De *Pen-  
 tateucho*, res clara est. Quae enim luculentior dedican-  
 di formula esse poterat, quam, cum DEVS per Mo-  
 sen inquit: *Igitur, o Israël, tenete statuta et iudicia, quae*  
*docui vos; non addetis quicquam ad verbum, quod ego prae-*  
*cepi vobis, neque diminuetis de eo; quin observetis prae-*  
*cepta lebovae DEI vestri, quae ego praecepi vobis. Videte,*  
*docui vos statuta et iudicia, quemadmodum praecepit mi-*  
*hi lebova, DEVS meus, ut faciatis ita in medio terrae. Ob-*  
*servabitis itaque et facietis: haec enim est sapientia vestra,*  
*et intelligentia vestra in oculis populorum, qui audierint om-*  
*nia haec statuta. Nota fac ea filiis tuis, ac filiis filiorum tuo-*  
*rum, Deut: IV, 1, 2, 5, 6, 9, seqq.* Quod si et subsequencia per-  
 quisiveris capita, copiosissima istius consecrationis ve-  
 stigia deprehendes, ut nullum fere caput excipere pos-  
 sis, quod de servando libro legis, eodemque ad filios  
 ac nepotes transmittendo diserte non agat. Nec minus  
*Iobi librum*, qui ad Mosis aetatem, omnium consensu,  
 quam proxime accedit, dedicatum fuisse, ex *Cap. XIX,*  
*23, 24.* liquet, ubi: *quis dabit, inquit, ut scribantur ver-*  
*ba mea? quis dabit, ut libro insculpantur? ut stylo ferreo, vel*  
*plumbo, vel saxo in sempiternum incidantur?* Vnde B. Schmi-  
 dius egregie colligit: *putamus itaque hoc στυλαθροισμῶ,*  
*aeternitatem circumscribente, nihil aliud notari, quam Ca-*  
*nonicam Scripturae perpetuitatem, quam quidem hodiernum*  
*in libro Iobi habemus, Comm. in b. l.* Dubitanti vero de voti,  
 quod conceperat, eventu; *non falleremur, addit, si dixe-*  
*rimus,*

rimus, Iobum hic praedixisse quid futurum. Nam vota San-  
ctorum sunt in Scripturis Prophetica, e. gr. Ps. XIV, ult.  
quis dabit e Sione salutem? *ibid.* Sic porro Iosuae liber dedi-  
catur, cum sub finem compellat populum universum,  
et, num quid desideretur illorum, quae DEVS prae-  
dixisset, ex tota concione quaerit, *Cap. XXIII, 14.* Dehinc  
scripsisse ea omnia, quae gesta erant, in librum legis, i. e. in  
canonem retulisse, dicitur, lapidemque in testimonium rei  
erexisse, c. XXIV, 26. Dedicationem libri *Iudicum* et utri-  
usque *Samuelis* Spiritus S. ita adstruit: *Et locutus est Sa-  
muel* (quippe qui trium horum Librorum auctor cen-  
setur) *ad populum ius regni, et scripsit in libro, deposuitque  
coram Iehova,* quae fane solemnis consecratio erat, *1. Sam.  
X, 15.* Similia et ex reliquis libris, *γνησιότητος* indicia  
colligi poterant, praeunte B. Thummio in *Demonstra-  
tione canonis*, ubi copiose ostendit, priores libros subin-  
de a posterioribus vel citari aperte, vel quoad argu-  
menta rerum confirmari, denique *allegatis a Christo  
libris*, Mosis, Prophetarum, et Psalmorum, *totum Vetus  
Instrumentum canonisari, p. 5. seqq.* Tamen si igitur clarum  
peraeque ac difertum dedicationis *γνώρισμα* non ex-  
hibeant finguli, qui canonici dicuntur, libri; generali  
tamen illa consecrandi formula omnes communiti  
sunt, quam Moses per integrum Deuteronomion fin-  
gulis fere paginis recitat, eoque religiosam verbi reve-  
lati custodiam sub maledictionis fulmine imperat, ut ar-  
gumentis non spernendis evicit B. Dorfscheus *Pentad.  
Diff. X. p. 321.* Tanti enim fiebat apud posteros hoc de  
asservandis libris divinis praeceptum, ut in proverbium  
abiret, et instar oraculi classici communi omnium  
ore celebraretur, *Prov. XXX, 6.* Idem postea repetitum  
a Malachia, cum canoni V. T. colophonem impone-  
ret,



ret, c. IV, 4. idem et ipsis N. T. Scripturis subnexum,  
et in modum epilogi alicuius galeati appositum fuit,  
*Apoç. cap. ult., v. 18, 19.*

§. XVI.

Eccui vero II. custodiendum atque asservandum  
hoc *κειμήλιον* DEVS dedit? Haudquaquam ulli  
alii nationi, quam Israëliticæ, testante Propheta Re-  
gio: *annunciat DEVS verba sua Iacobo, statuta sua et iudi-  
cia sua Israël; non fecit taliter ulli nationi, nec sua illis iu-  
dicia sic manifestat, Ps. CXLVII, 19, 20.* Non sane DEVS  
ulli genti revelatam denegavit voluntatem; nam *mi-  
sisse paullo ante dicitur verbum suum in omnem terram, et  
velocissimum ipsi cursum imperasse, v. 15. conf. Ps. XIX, 4, 5.*  
sed tantum revelati Canonis curam atque conserva-  
tionem; quippe quæ *πρωτεία* erat nationis Iudaicæ,  
et hac reliquis nationibus omnibus antecellebat: *πρω-  
τον μὲν γὰρ*, i. e. *primarium* Iudæorum axioma,  
erat, *ὅτι ἐπισεύθησαν τὰ λόγια τῆ θεῶ, quod illis  
creditæ sunt oracula DEI, Rom. III, 2. c. IX, 4.* Num vero  
immediate DEVS cuiusque libri Canonici curam Ec-  
clesiæ commisit? ita plane existimamus. Si enim *no-  
tas fecit vias suas Moysi, et filiis Israël opera sua, Ps. CIII, 7.*  
dubium non est, quin et de his viis, quæ ad salutem  
Ecclesiæ spectant, populum suum instruxerit. Nam  
incredibile dictu est, quantopere DEVS pro asservan-  
do, retinendoque codice sacro laboraverit, *conf. Deut.  
V, 26. c. VI, 6, 7. it: v. 17, 20, 24. c. XI, 16, 17, 18, 20. c. XVII,  
15, 18, 19.* Quamobrem tanto studio, tantæque religio-  
ne pretiosi huius cimelii curam egit gens ista, ut apud  
omnem antiquitatem, fidelitatis et candoris laudem  
meruerit. Praedicat hanc illorum integritatem D. Au-  
gusti-

gustinus: quid est aliud bodieque, ait, gens ista, nisi quaedam scriniaria Christianorum, baiulans legem et Prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiae, L. XII. contra Faustum C. XXIII. Et alibi: Iudaei, tanquam capsarii nostri sunt, studentibus nobis codices apportant. Apud illos sunt Prophetiae et lex, in quibus Christus praedicatus est. Si aliquis perstrepit inimicus, ac dicit: vos vobis Prophetias finxistis, proferantur codices Iudaeorum, Enarrat. in Ps. XL. Plura in hanc rem congeffit Calixtus, Diff. de auctoritate Script. §. XL.

§. XVII.

Ceterum III. et modum tradendi et consecrandi eiusmodi libros nonnihil iuvat investigare; quem quidem geminum fuisse deprehendas: alter *literarum usque* erat, alter *arcae receptaculum*, quo libri canonici recondebantur. Magnum certe et admirandum εὐρημα est, animi cogitata visui exponere, et peraeque prodigiosum, ac si quis hodie postulari ab artifice, ut colores auditui subiiceret, vel sonum visui. Itaque DEO id ferendum in acceptis, et, qui id a DEO edoctus fuit, Mosi Legislatori. Sane ante huius aetatem, nulla literarum, nulla Scripturae mentio occurrit. At, Canonem sacrum ad posteros propagaturus DEVS, Mosi hoc mysterium revelavit: כתב זאת זכרון בספר *scribe hoc*, ut sit *memoriale, in librum*, Ex. XVII, 14. Quo autem rectius id perficeret, DEVS velut ὑπογραμμὸν ipsi proposuit, legem videlicet tabulis lapideis insculptam, Ex. XXIV, 12. c. XXXI, 18. Ad Phoenices quidem nonnulli originem literarum referunt, sed nullo, quod fidem faciat, argumento. Aegyptii Tauto suo, Graeci Mercurio suo id tribuunt, sed per utrumque, Mosē indigitatum fuisse confirmat Huetius *Demonstr. Evang. p. 84*. Ita vel ex ipsis veterum fabulis veritas quodammodo elucescit. Proinde et paganos

gaños Scriptores, et antiquissimos quosque Ecclesiae Doctores huius inventi gloriam Moli constanter asseruisse, dubium non est, et ostendunt illud B. Vrsinus noster *Praef. in Zoroastrem* p. 3. B. Oslander item in *Syst. p. 235.* nec non Guffetius, nuperus Scriptor *Comment. Lingu. Hebr. p. 6.*

### §. XVIII.

De reconditis autem in arca foederis libris Canonis sic edocemur: *Et fuit, cum absolvisset Moses scribere verba legis huius in libro, usque ad perfectionem illorum, tum praecepit Moses Levitis, portantibus arcam foederis Domini, dicendo: capite librum legis illius, et ponite illum a latere arcae foederis Iehovae DEI vestri, ut sit ibi apud te in testem, vel testimonium, Deut: XXXI, 24, 25, 26. conf. C. X, 2.* Quantam igitur conservandi Canonis curam DEVS habuerit, vel ex hoc textu patet. Primum omnium scribi oportebat illum; artificio sane tam mirabili, ut ipsius DEI sententia, auribus haecenus percepta, nunc omnium oculis subiiceretur; tum vero eo loco retineri ac servari debuit, quem sua ipsius praesentia DEVS collustrabat. Sive autem vocem *מִצַּד* de interiori latere cum Buxtorffio, sive cum B. Carpzovio, aliisque de exteriori eius parte accipias, adeoque *מִצַּד הָאֲרֹן* a latere, sive, ad latus arcae interpreteris, neutrum certe singulari protectioni divinae quicquam derogat, siquidem pari cum ceteris Ecclesiae cimeliis, studio, industriaque servabatur. Vide utriusque *Dissert. de hoc argumento.* Statim igitur ac consummatus fuit liber *Ἰερόπνευστος*, relatus ille in librum legis Domini est, ut manifestum ex *Ios. XXIV, 26.* i. e. repositus in volumen legis Domini, uti notant interpretes, adeoque corpori librorum Canonis insertus. Nec minus illud ex libris Samuelis

lis cognoscitur, ubi Propheta *ius regni consignasse libro*,  
et *deposuisse* dicitur *coram Iehova*, 1. *Sam. X, 25.* i. e. expli-  
cante Kimchio, *הַכְּתוּבִים* in *arca*, vel ut alii, *iuxta arcam*  
*Domini*. Ut adeo, si coniecturae sit locus, dici possit, scri-  
niolo inclusum fuisse S. Codicem, cum portaretur arca,  
vicissim pluteo arcae affixum, sicubi quiesceret, ut hoc  
pacto lectio eius omnibus pateret. Vid. B. Calov. *Bibl.*  
*Illustr. ad b. 1.* Sed, postquam templum Hierosolymita-  
num una cum urbe dirutum, excisumque est, nec sub  
templo secundo arca foederis amplius conspecta; quo-  
tum repositi sunt libri Canonici? aut, quo indicio a  
ceteris potuere dignosci? Equidem B. Franzius noster  
tempore templi secundi adhuc superfuisse arcam foe-  
deris statuit, nec contemnendis id argumentis docet  
*Schol. Sacrif. Disp. XI. Tb. 47.* quae succincte repetit B.  
Dorscheus, at ipsam tamen sententiam, velut incertam,  
relinquit in medio, quandoquidem et Iudaei, et Chri-  
stiani interpretes in id fere conspirant, direptis a Ne-  
bucadnezare Hierosolymis, arcam quoque una cum  
feriniolo, quibus sacra volumina continebantur, peri-  
isse. Vide Drusium ad difficiliora loca *Num. C. XIV.*  
*p. 392. Exod. C. XLIII. p. 406. Tarnovium Exerc. Bibl. p. 745.*  
*Huetium Demonstr. Ev. p. 306. Schmidium Comm. ad Ier. C.*  
*III. p. 92. D. Maium Dissert. de S. Scriptura p. 59. seq.* Inter-  
rim tamen, ut in captivitate Babylonica superstes erat  
Bibliorum Codex, et in causis dubiis evolvi solitus, *Dan.*  
*IX. 2, 13.* ipsique Prophetae aliquando Procerum gratia  
fruebantur, *Ier. XXXIX, 12.* ita reduces ab exilio, du-  
bium non est, in colligendis, recensendisque ac digerendis  
codicibus omne studium, omnemque industriam  
collocasse. Ac primas quidem partes Esdras in hoc  
negotio egisse non diffitemur, quandoquidem, *ut scri-*  
*ba ve-*

ba velox in lege Moſis, itemque, ut ſcriba eruditus in ſermonibus et praeceptis Domini, et ceremoniis eius in Iſraël celebratur, Eſr. VII, 6, 11. quin et diſpoſuiſſe animum ſuum, i. e. totus incubuiſſe inquirendae legi Domini, dicitur, Eſr. VII, 10. Attamen Eſdram totam legem, ut ſingunt, a Babyloſiis exuſtam, XL. dierum ſpatio, divino inſtinctu edidiſſe viciffim, ac reſtituiſſe, traditio, eſt nullo, quod ſciam, antiquitatis teſtimonio ſubnixta, ſed procul dubio ex IV. Eſdrae libro hauſta, ubi totam legem exuſtam fuiſſe, narratur, nemine amplius intelligente, quae a DEO facta forent, vel praediſta, c. XIV, 21. ſeqq. Tantum igitur abeſt, ut deperditi ſub iſta calamitate fuerint libri Canonici, ut potius ſub id tempus inſigni acceſſione aucti ſint, uti ex S. Literis edocemur. Nam Ieremias intra huius exilii periodum et Threnos concinnavit, et vaticinia quaedam edidit, quae poſteritati DEVS ſic conſecrari iuſſit: dixit Iehova, DEVS Iſraëlis, dicendo: i. e. ſaepius dixit: ſcribe tibi omnia verba, quae locutus eram ad te, ſuper librum, c. XXX, 2. et clarius alibi: factum eſt verbum hoc ad Ieremiam a Iehova, dicendo: ſume tibi volumen libri, et ſcribe ſuper illud omnia verba, quae locutus ſum ad te, de Iſraële, et de Iuda, et de omnibus gentibus a die, quo locutus ſum ad te, a diebus Joſiac uſque ad diem hunc, c. XXXVI, 1, 2. Sic et Ezechiel, eodem mulctatus exilio, illuſtres illas viſiones habuit, quas literis mandare iuſſus eſt his verbis: fili hominis, omnia ſtatuta, omnesque leges edoce populos, et ſcriptas oculis eorum ſubice, ut cuſtodiant illas, faciantque, c. XLIII, 11. Quin et Danieleſt conſtat ſub Chaldaeis et Perſis ſua edidiſſe oracula, quae iuſſu ipſius DEI in perpetuum Eccleſiae uſum ſeponerentur: tu vero Daniel, occlude verba, et obſigna librum uſque ad tempus finis, percurrent enim multi, et multi-

*multiplicabitur inde scientia, Dan. XII, 4, 9.* Ex quibus omnibus colligitur, non auctoritate Ecclesiae, vel synagogae alicuius magnae, pro qua nimio opere militat Huetius cum Talmudistis l. c., sed ipsius DEI mandato et revelatione libros Canonicos per Viros, qui eo tempore vixerunt, θεοπνεύστως coetui fidelium consecratos fuisse, et hac ratione non tantum de auctore, sed et Canonica illorum auctoritate indubitato constituisse.

§. XIX.

Per duo igitur haec προσκείμενα, si coniuncta fuerint, ut nunquam in hac controversia divellenda sunt, liber Canonicus evadit id, quod esse debet, i. e. coelestis veritatis monumentum, ac eiusmodi regula, ad quam fidei iuxta et vitae rationem normari necesse est. At, unde nobis innotescit illa librorum Canonicorum auctoritas, ac demonstratur? certe non minoris momenti haec quaestio est, ac prior illa, nec una hactenus ratione expedita. Pontifici, ut notum, tantam faciunt Ecclesiae auctoritatem, ut hinc divinitatem ipsius Scripturae diiudicandam esse, tradant. Qui tamen aliquanto subtiliores sunt, controversiae huius statum sic explicant, ut Scripturae auctoritatem *in se* summam atque divinam relinquunt, neque hanc ab Ecclesia arcessant, contra vero derogent illi auctoritatem, *quoad nos*, nisi eam ab Ecclesia mutuetur. Verum, ut ut speciosa videatur distinctio, tamen amolendae potius heterodoxiae, quam explicandae veritatis causa excogitata est. Nam, si nulla Scripturae inest *quoad nos* vel iubendi, vel persuadendi auctoritas, nisi, quae ab Ecclesiae testimonio ipsi accedat, aperte illudunt Scripturae divinae, gravique eam iniuria afficiunt, concedentes ipsi auctoritatem, quam *in se* tantum, nullam

lam *quoad nos* habeat; quo pacto DEVM ipsum humano  
 subiciunt arbitrio, ut, quaecunque dicit, tum demum ra-  
 ta sint aut irrita, cum ab hominibus vel approbanur, vel  
 infirmantur; sed haec pridem a nostratibus discussa sunt.  
 Fanatici autem veteres, et, qui illos sequuntur, recen-  
 tiores, a privatis sive afflatibus, sive affectibus habere  
 se gloriantur, tum *γνησιότητα* librorum sacrorum,  
 tum religionem veram, tum ipsam difficilium explica-  
 tionem locorum. Mitto veteres, et ex modernis P. Poireti  
 tantum *ἔυρήματα*, velut *ἐν παρόδῳ* noto. Hic e-  
 nim postquam Mathematicam tradidisset methodum,  
 auctoritatem Scripturae Canonicam demonstrandi,  
 observasset autem, ne sic quidem Criticorum diffidia,  
 atque altercationes circa Scripturas superari posse; a-  
 liam se *viam* reperisse, contendit, *planam* illam, ut lo-  
 quitur, *facilem, brevem, tranquillam, omnium sectarum,*  
*et Criticorum dubiorum, et altercationum molestissimo tur-*  
*bine penitus exemptam.* Roganti vero, quae ista demum  
 sit via? annuit, totumque aperit arcanum: *Ita vero in*  
*hac re incedo,* inquit: *quilibet bonae voluntatis homo, pi-*  
*aeque veritatis amans, et eiusdem sectator facile sentit, agno-*  
*scitque inter legendum, num auctor minime fucatam spiret*  
*pietatem, nec ne? num ad DEVM adducat, contemptum mun-*  
*di et suimet ipsius, odiumque perpetuum et implacabile o-*  
*mnis generis peccatorum constanter urgeat, an secus?*  
*Quod si prius, auctorem sacrum fuisse virum bonum, omnis-*  
*que probitatis, iustitiae et sanctitatis strenuum cultorem,*  
*eoque nomine DEO maxime acceptum, quis dubitaverit? in-*  
*de autem vel sponte sua sequitur, mentiri nescium esse eun-*  
*dem, sed fide omnino dignum in omnibus, quae consulto, con-*  
*stanterque asseverat. Errorem vero, si quis aut veteri*  
*praeiudicio aut fragilitate irrepsit, non esse tanti momen-*

*tio, ut castae pietati maculam inurere, DEI que salutari gratia hominem spoliare possit. Vid. Tract. Poirer. de fide et ratione, Io. Lockio nuper oppositum, p. 258. edit. Amstel. 1707. Verum, quam nova et mustea, tam quoque praepostera, et ad fallendum proclivis haec methodus est. Prius enim constare debet de religionis norma, i. e. Scriptura Canonica, quam de normato, s. studio sanctimoniae ad hanc regulam dirigendo. Iam vero inversa plane ratione proceditur: hoc unum agas, inquit, ut pius sis, ut sanctus sis, et veram habebis, salutaremque religionem, p. 308. Quasi vero sanctimonia existere queat ante veram religionem, et haec demum ex illa diiudicanda sit. Quin imo vanam esse, existimat, controversiam de libris Canonicis, eorundemque numero; quodvis enim scriptum, ait, quo ducimur ad Christum, amorem et imitationem eius, quoad substantiam a DEO esse, eoque in omni humilitate et simplicitate utendum, eique attendendum, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, 2. Pet. I, 19, ibid. p. 33. Qua quidem ratione cuiusvis hominis foetus, dummodo manu ductio nem ad Christianismum prae se ferat, canonicus erit, atque ad confirmanda fidei, morumque dogmata adhibendus. Nec apparet, quae tandem praerogativa libris Canonicis, et ipsius DEI auctoritate approbata relinquantur.*

§. XX.

Ecquae igitur *κρίτηρια* sunt, unde divina Scripturae Canonicae auctoritas nobis innotescat? variant quidem Auctores in recensendis illis, aliique plures, alii pauciores enumerant, in eo tamen consentiunt plerique omnes, interna *γνωρίσματα* ab externis, et aliunde adscitis sedulo distingui, adeoque haec illis magno



magno intervallo postponi debere. Itaque Testimonium Ecclesiae, ut medium quoddam externum ac paedagogicum ad cognoscendam Scripturae auctoritatem divinam admittimus; absit vero, ut pro interno et ἀποτελεσματικῶ, seu productivo fidei divinae agnoscamus, cum ipsamet Ecclesia pendeat a Scriptura, ceu *unico suo fundamento*, Eph. II, 20. qui ergo possit auctoritatem divinam et infallibilem eidem largiri? Cives certe Samaritani per testimonium mulieris ad Christum deducebantur, qui vero, cum ipsummet Christum audivissent, dicebant: *non amplius propter tuam orationem credimus: ipsi enim audivimus, et (ex audito sermone) scimus, quod hic est vere Servator mundi, Christus*, Io. IV, 42. Nimis quidem infirma videbatur Apostolis relatio mulierum, de resurrectione Christi testantium: at, accedente Christi concione Prophetica, quam *ordiebatur a Mose et omnibus Prophetis, et ad mortem et resurrectionem suam referebat*, dixerunt: *nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?* Hinc demum convictio et vera fides oriebatur; dicebant enim: *surrexit Dominus vere*, Luc. XXIV, 27, 32, 34. Neque tamen, cum paedagogicum diximus medium, hoc testimonium Ecclesiae, illico vel *absolute praecipuum*, ut Pontificii tradunt, vel *necessario primum* est, ut Horneius quondam cum affectu statuebat. Tamen si enim inter externa κριτήρια testimonio Ecclesiae, et quidem primitivae, praecipuum quendam locum relinquamus, nequaquam tamen ideo *absolute praecipuum γνώρισμα* est, et, in istis illis ac infallibilibus praefendum. Demus etiam, in convertendis paganis, testimonium Ecclesiae *ratione ordinis* primum posse dici, in persuadenda auctoritate S. Li-  
tera-

terarum; non tamen ideo *necessaria conditio* est, *sine qua* internum Spiritus S. testimonium nemo habere queat; quandoquidem experientia et probatissimis exemplis constat, S. literas vel solas, ne ulla quidem accedente hominum institutione, lectores in sui fidem, amoremque pertraxisse; id quod exemplis fide dignissimis demonstrat B. Dorscheus *Theol. Zach. P. II. p. 48.*

§. XXI.

Ceterum nec *interna*, quae hominem de auctoritate Scripturae convincant, *ἠπιθήματα* unius, eiusdemque generis sunt. Duo enim illorum apodictica tantum dixeris, reliqua probabilia, et fidem non nisi humanam gignentia, quorsum videantur Theologi nostri. Illa igitur, quibus Scripturae divinitas nobis demonstratur, bina haec sunt: (1) *attestatio Spiritus S. in verbo loquentis*: (2.) *attestatio Spiritus S. hanc veritatem, in corde obfirmantis*. Praecedat alterum, ne Enthusiastica videatur haec attestatio; alterum sequitur, et efficacia Spiritus S. intrinseca unice nititur; at, utrumque tamen in hac causa coniungendum. Prius hanc parit apodixin: Quaec. Scriptura DEVM se habere testatur auctorem, nullius interim fallaciae vel suspecta, vel convicta, illa procul dubio est divina: atqui haec nostra libris Canonice comprehensa ita se habet; E. Maior ex *1. Io. V, 9.* probatur: *si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI maius est, quod, per universam Scripturam, testificatus est de Filio suo.* Quod axioma huc redit: si uni, alterique homini ab omni fallaciae suspitione non usquequaque libero fidem adhibemus, quid ni tot testibus divinitus excitatis, tot signis veritatis communis, et unanimi consensu testimonium de voluntate DEI perhibentibus, ut par est, assentiamur? vel ita:  
fi

si librum Scriptori vel profano tribuimus, qui se profi-  
tetur Auctorem eius, quidni DEO per tot Prophetas,  
ipsumque Filium suum loquenti fidem habeamus, dum  
se horum librorum toties testatur Auctorem. Minor  
itaque ex omnibus illis locis conficitur, ubi DEVS per  
Prophetas et Apostolos se loqui testatur. Equidem ob-  
vertunt Antiscripturarii, falsos quoque Prophetas DEI  
ἐλλαμψιν, alloquiumque mentitos fuisse, in Paga-  
nismo aequae ac Muhamedismo vates sua edidisse ora-  
cula, et futura quaedam praedixisse. At vero, si for-  
te similia edat actiones humanis non absimiles, num ideo  
cessant actiones humanae esse infallibile rationis docu-  
mentum? aut, num miracula ideo argumentum divi-  
nae virtutis amittunt, quod Aegyptiorum magi simu-  
lacula quaedam et miraculorum umbras stygia ope ex-  
citarunt? Vaticinia Paganorum mera ludibria, sortes  
illorum fraudes et fallaciae erant. Apollo ipsis Genti-  
libus dictus est λοξίας, quasi λοξός obliquus, et ad  
fallendum compositus. Pythia per proverbium dice-  
batur Φιλιππίζειν, quod scilicet nutu et imperio Phi-  
lippi Regis ea praesagiret, quae cum eiusdem animo  
ac libidine congruebant. Prodit hos dolos disertissi-  
mus Romuli nepotum: *Iam ad te venio, sancte Apollo,  
tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim  
falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut sit in omni oratio-  
ne saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpret e-  
geat interprete, fors ipsa referenda sit ad sortes, partim  
ambiguus, et quae ad Dialecticam referenda, Lib. II. de  
Divin. c. 7.* Muhamedis imposturas, nae gravissime pec-  
cat, qui cum revelationibus divinis ausit contendere.  
Ac ipsa quidem κακοζήλια afflatuum divinorum, fat  
clarum Spiritus S. revelatoris documentum est. Dum  
enim Muhammed impostor columbam assuesecit au-  
ribus

E

ribus

ribus insidere, ut, gravis inde quaesitis, Spiritus  
S. speciem mentiretur, hoc ipso minime Prophetarum  
egisse Pseudopphetam, palam est. Et, quia Spiritus S.  
*ἐπιφάνειαν* vanissima aemulatione exprimere cona-  
tus est, vel hoc dolo coelestis inspirationis veritatem  
prodidit et confirmavit: ex prodigiis enim mendaci-  
bus cognoscendus est AntiChristus *2. Thess. II, 8. Poste-  
rius* eiusmodi suppeditat *ἀπόδειξις*: Quaec. Scri-  
ptura arcano Spiritus S. motu, citra omnem humanam  
persuasionem, me de divinitate sua convincit, illam ve-  
re divinam atque Canonicam esse, cognosco ac testor:  
Atqui haec ipsa, quae libris Canonicis comprehenditur,  
id praestat, E. Ratio *Maiores* est (α) quia Spiritus  
S. *nōs ducit in omnem veritatem, Io. XVI, 13.* E. etiam in  
veritatem de divina Scripturarum auctoritate; (β) *Spi-  
ritus S. omnia χαρίσματα efficit, 1. Cor. XII, 11.* E. etiam  
donum prophetias discernendi, *v. 10.* (γ) *Spiritus testa-  
tur, quod Spiritus, i. e. verbum, sit veritas, adeoque au-  
ctoritatis divinae, 1. Io. V, 6.* (δ) *qui se voluntati divinae  
submittit, cognoscat de doctrina, utrum ex DEO sit, Io. VII, 17.*  
Minor propositio hinc constat: quia, uti Spiritus S. per  
verbum *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii  
DEI, Rom. VIII, 16.* ita etiam mentem nostram de divinitate  
Scripturarum convincit, deque eadem internum et  
irrefragabile reddit testimonium. Sed convictio illa  
pari apud omnes gradu se non exerit. Vti enim sol to-  
ti quidem mundo lumen et calorem suum indulget,  
at, quo minus parem ubique vim spargat, varie impe-  
ditur: ita Scripturae claritas omnes collustrat, at quo-  
rundam cordibus velamen impositum est, quo minus  
*revelata facie gloriam Domini in hoc speculo intueantur,  
2. Cor. III, 15, 18.* Nonnulli assentiuntur Prophetis, et  
pro-

dag



propius absunt a fide Christiana, velut Agrippas, *Act. XXVI, 29.* Alii compunguntur corde, ut quaerant: *quid faciamus, viri fratres? Act. II, 27.* Quidam ex *συγγελοει* et collatione Scripturarum permoventur, ut credant, ita se rem habere, uti Beroënſes, *Act. XVII, 11.* Denique alii per sedulum verbi scrutinium eo progrediuntur, ut Spiritus S. in iis operetur fidem, et convertantur, velut de Eunucho et Thessalonicensibus proditum memoriae est, *Act. VIII, 34, 35. 1. Thess. II, 13.* Adeo praeclarum est illud Apostoli monitum, quo attendere nos iubet Scripturis, et hinc futurum affirmat, ut dies illucescat, et lucifer exoriatur in cordibus nostris, *2. Pet. I, 19.* Sicigitur *πληροφoγiαν* de Christo, ex lucidis Scripturae dictis affecutus, exegeticas, quas offendit, difficultates vel in medio relinquit, vel ut *νήπιος*, ad idoneos remittit interpretes, vel *γνώσει ἐν μέγας* contentus, non iudicat, se quicquam scire praeter Christum crucifixum, et quae ab illo donata sunt nobis, *1. Cor. II, 2, 12.*

#### §. XXII.

Haecenus natura librorum Canonice evolventa erat, ut iam de numero illorum, incremento que, et obſignatione totius canonis paullo accuratius ferri iudicium possit. Nam V. T. Libri vel iuxta numerum explicatiorem computantur, quo pacto *triginta novem* numeraveris: scilicet V. *Pentateuchi*, XII. *Prophético Historicos*, ut, libros *Iosuae*, *Iudicum*, *Ruth*, duos *Samuelis*, duos *Regum*, duos *Paralipomenon*, *Esdrae*, *Nebemiae*, *Estherae*; XVII. mere *Prophéticos*, *Esaiam*, *Ieremiam*, eiusdemque *Tbrenos*, *Ezechielem*, *Danielem*, *Hoseam*, *Ioel*, *Amosum*, *Abdiam*, *Ionam*, *Micheam*, *Nabum*, *Habacuc*, *Zephariam*, *Haggacum*, *Zachariam*, *Malachiam*; *Poéticos* V, *Iobum*, *Psalms Davidis*, *Proverbia*, *Ecclēsiasten*, et *Canticum Salomonis*. Vel

iuxta numerum *contractiorem*, et tum combinatis libris Iudicum et Ruth, libris Samuelis, Regum, Chronicorum, et Prophetarum minorum, quos *δωδεκαπρόφητες* nomine notant, alii *viginti duos*, secundum litteras Alphabeti Hebraici, alii *viginti quatuor* iuxta easdem, sed littera *Iod* in honorem nominis tetragrammatiter repetita, numerarunt. Quo de argumento vix alius copiosius egit, atque Sixtus Senensis in *Biblioth. S. p. 4, 5. seqq.* Tot igitur libri V. T. *θεόπνευστοι* sunt, tot Iudaeis concrediti, et in perpetuum Ecclesiae Canonem commendati, tot a Christo, summo Doctore ac Propheta approbati, et vel hoc ipso satis asserti, quod in *Legem, Prophetas* et *Psalms* distingueret Canonem universum, tot a veteribus et modernis Iudaeis recepti, et in hunc usque diem religiosius custoditi, tot, altero post Christum natum seculo, a *Melitone*, Sardicensium Episcopo, qui explorandi Canonis causa Orientem peragraverat, ad *Onesimum* perscripti, ut videre est apud Eusebium *L. IV. H. E. c. 28.* tot, a Concilio Laodicensi *C. LIX.*, vel iuxta Beveregium *LX.* recensiti, et postmodum auctoritate Concilii Constantinop. VI. in Trullo habiti, plenius sanciti, tot, a Patribus orthodoxis, Hieronymo in primis in Prologo galeato, qui ideo omnibus fere codicibus Biblicis praefigi consuevit, unanimi consensione obfirmati, et ab omnibus quarumcunque aetatum Ecclesiis lecti ac propugnati. Testimonia Veterum collegit Horneius *Disp. II. de Script. p. 132.* et longe uberius Calovius noster *Crit. S. p. 261.*

§. XXIII.

Postquam igitur, definito tempore, Messias in carne manifestatus fuisset, scopus ille ac nucleus totius Scripturae; tanta Canoni V. T. tamque insignis access-

accessio per Evangelistarum et Apostolorum libros facta est, ut, si deficient aut resecantur illi, universus Canon altera sui parte mutilatus censeari possit. Ille enim Canon typi, hic antitypi rationem involvit; alter *ἐπαγγελίας* et promissiones, alter *εὐαγγέλιον* ipsum, i. e. promissionum complementum exhibet. Quot enim existunt promissiones, in Christo sunt valè, et in Christo sunt ἀμὴν, 2. Cor. 1, 21. Neque tamen una ratione illorum necti catalogus solet. Nam Athanasius in *Synopsi. cit. N. T.* facit *ὀγδότευχον* s. octo voluminum, ut, quatuor libri sint Evangelici; quintus, acta Apostolorum; sextus septem Epistolae catholicae; septimus quatuordecim Epistolae Paullinae; octavus Apocalypsis Iohannis. Leontius autem Byzantinus, qui sec. VI. claruit, hoc volumen *ἑξαπλον* facit, quorum primum contineat Matthaeum et Marcum; alterum Lucam et Iohannem; tertium Acta Apostolorum; quartum Epistolas catholicas numero septem; quintum quatuordecim Epistolas Paulli; sextum Apocalypsin; *Lib. de Sectis*, qui extat *Bibl. Patrum T. IX. p. 663.* At, praestat recentiorum retinere ordinem, qui etsi *χρονοτάξεως* rationem non habeat, tamen potiori librorum argumento nititur, et in codicibus sequiorum temporum constanter retinetur. Sunt enim libri alii *Historici*, quo pertinent quatuor Evangelia, et *πράξεις Ἀποστόλων*; alii *Dogmatici*, quibus praecipue dogmata fidei et vitae traduntur; cuiusmodi sunt Epistolae, vel *catholicae*, ut ab Hieronymo appellantur, i. e. communi coetui destinatae; *Iacobi* scilicet, *S. Petri* utraque, *S. Iohannis* prima, secunda et tertia, denique *S. Iudae* unica; vel *Paullinae*, i. e. auctore Paulo exaratae, et ad certas nationes perscriptae,

ptae, quarum quatuordecim numerantur: Epistola ad Romanos, utraque ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, utraque ad Thessalonicenses, utraque ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, et denique ad Hebraeos. Qui quidem libri cum formam Epistolarum habeant, pie iudicant Veteres, in Novo demum Testamento, DEVM familiarius nobiscum egisse, et cum per suum ipsius Filium, tum per Epistolas, suam nobis voluntatem indicasse. Vltimus vero liber *Propheticus* est, scil. *Apocalypsis Ioannis*, quo futura Ecclesiae fata, una cum novissimo Christi adventu praedicuntur.

#### §. XXIV.

Etsi proinde factum hunc Canonem, tectumque hodie habemus, plurimae tamen circa *incrementum* eius, *ultimum* que *signaculum*, quod in primis defendendum sumus, difficultates occurrunt, ut per difficile sit, ex tot tantisque disputationum labyrinthis eluctari. Ne itaque ipsa rerum copia nos obruat, aegedum, summatim complectamur ea, quae vel copiosius disputantur, vel perplexe alioquin ac dubie proponuntur, ut articulati, quoad fieri potest, distinctiusque singula intelligamus. I. *Canon Scripturae S. non semel et simul, sed diversis temporum intervallis editus est, prout Ecclesiae suae id profuturum DEVS praecidit.*

Nam, uti non perpetuo, sed *πολυμερῶς*, *distinctis saltem vicibus*, ut ait Apostolus *Hebr. I, 1.* revelationes in Ecclesia DEI contingere, ita nec *παντοδαπῶς*, sed certis temporum periodis Canonicae Scripturae monumenta literis mandata sunt. In prima mundi aetate vix illustriora revelationum organa suppetebant, quam ipse viventium parens, *Adamus*, a quo oraculum de Messiae adventu *gratioso*



tiſo promulgatum, *Gen. III, 15. IV, 1,* tum et *Enochus*,  
qui de adventu Meſſiae *glorioſo* vaticinatus eſt, *Gen. V,*  
*24. Iud. v. 14.* certo indicio, binis hiſce ἐπιφανείαις po-  
tiſimum, ſalutis noſtrae oeconomiam abſolvi. Semper  
quidem traditum DEI verbum, atque per Abelem, Se-  
thum, Methuſalemum, ceterosque Patriarchas Eccleſiae  
annunciatum, ſed non continuo revelatum, quando qui-  
dem revelationis character ſolemni illa formula: *dixit*  
*Iehova, ad Adamum, Kainum, Noachum,* indicatur; ali-  
quando ſignum gratioſae revelationis Kaino denega-  
tum, Abeli indultum, *Gen. IV, 4.* aliquando obſcuratus  
fuit publicus DEI cultus, repudiato ſpiritu correctio-  
nis, aliquando inſtauratus, *coeptumque denuo invocari*  
*nomen Iehovae: v. 26.* Alteram aetatem, poſt *κατα-*  
*κλιſμὸν*, Noachus maxime ſuis cum filiis illuſtravit,  
qui, velut magnus iuſtitiae praeco, fidem de Meſſia per  
orbem terrarum propagaverat, et in ſuis aliquandiu  
conſervaverat poſteris. At collapſam deinceps, et per  
architectos Babelicae turris, i.e. apoſtatas, prope ever-  
ſam religionem iterum inſtaurarunt Patriarchae, Abra-  
amus, Iſaacus, Iacobus, qui ſpiritu DEI acti et reve-  
larunt myſteria DEI, et ſuas intra familias emendatum  
DEI cultum propagarunt. Cum vero per humanam  
imbecillitatem illico memoria exciderent praecepta  
DEI, Moſes demum intra hanc periodum excitatus a  
DEO eſt, qui ſcriberet oracula divina, *Exod. XVII, 14.*  
nec tantum ex Patriarcharum commemoratione;  
(quartus enim a Iacobo erat, neque adeo remotus ab  
iis temporibus, quibus Adamus ipſe ſuperſtes fuit) ſed  
ex familiari DEI alloquio ea hauriret, quae literis confi-  
gnata nunc extant. *Erat enim fidelis ille DEI miniſter, te-*  
*ſtimonio allato etiam eorum, quae poſtea dicenda erant, Hebr.*  
*III, 2, 5.* Oppreſſus denuo per Moſis obitum, et confi-  
nio

10  
nio idolorum contaminato DEI cultus fuerat; sed repur-  
gatus a Iosua, cum iteratis concionibus de lege Mosis  
servanda, tum Canone DEI ipsius iussu consignato,  
*c. XXIV.* Delato ad Iudices regimine, *verbum DEI* aliquando  
*ita carum evaserat, ut et visiones, et prophetiae deficerent,*  
*1. Sam. III, 1.* Sed mox per Samuelem se Iehova revelavit  
*in Schilunte, ibid. v. 21. per catervam Prophetarum, 1. Sam.*  
*X, 5. c. XIX, 20. per Gadem, c. XXII, 5.* aliosque plures. In-  
teriecto deinde tempore prorsus abolitae ac deflagratae  
Prophetarum Scholae videbantur, quiritante Ecclesia:  
*Signa nostra non amplius videmus, nec amplius conspicitur*  
*Propheta, nec est videns nobiscum, Ps. LXXIV, 9.* Ast, ut  
nunquam DEVS Ecclesiam suam deserit, sic novo Pro-  
phetarum choro eandem instruxit, in quibus ipsummet  
Davidem et Nathanem, numeratos meminimus.  
Quartam autem aetatem cum intueor, eam de-  
mum Propheticam vere fuisse dixerim, adeo Prophe-  
tae ad instaurandam Ecclesiam, velut ad communem  
quandam necessitatem confluebant, *Hos. XII, 11.* quorum  
proinde monumenta hodiernum extant, omni aere, ut  
cum Poeta loquar, perenniora. Sed et tum quaedam  
incidebant tempora, quibus nec *stillabant Prophetae,*  
*Mich. II, 6.* nec *verbum DEI* audiebatur in terra, *Amos. VII, 11.*  
Quin et finito, cum Malachia, Canone, ingens illud in-  
tervallum *ἀθεόπνευσον* intercedebat, ut per quatuor  
fere secula cessaret Prophetia, nec *ullus videretur Pro-*  
*pheta in Israele, 1. Macc. IX, 27.* donec ultima illa, et ce-  
teris omnibus sublimior *ἐπιφάνεια* succederet, qua  
DEVS per Filium suum, maximum omnium Prophe-  
tarum, locutus est, et universum de salute nostra con-  
siliium nobis revelavit. Iam, si certae revelationum pe-  
riodi fuerunt, consequitur, fane non quovis tempore  
editos

editos esse libros θεοπνεύστους, nec, qui in Scripturis citantur, vel θεοπνεύστους fuisse, vel in Canonem receptos; sequitur et illud: per tractum illum suspensarum revelationum DEVM non aliter Ecclesiam suam erudiri voluisse, quam per Canonem verbi iam promulgatum; adeoque in medio revelationum statu, ad Verbum revocasse auditores: *Ad legem et testimonium, nisi dixerint haec, non erit ipsis matutina lux, Es. VIII, 20.*

§. XXV.

II. Primus, et pro Ecclesiae statu perfectus Canon, Pentateuchus Moysis erat, idemque omnium fidei articulorum compendium; ceteri vero uberiores quidam commentarii sunt, nec omnes, sigillatim accepti, pro integro fidei Canone habendi.

Duo in primis nobis expedienda sunt, quorum alterum ad perfectionem Scripturae, alterum ad singularem eius *παραρμονίαν* spectat. Ac poterat sane, negotio non ita magno, Systema quoddam Mosaicum concinnari, omniaque fidei nostrae capita inde ostendi, si per compendium disputationis, id nunc liceret. Iuvat tamen pauca quaedam eius lineamenta ducere, ut ansa suppeditetur aliis, id latius pertractandi.

Art. I. de S. SCRIPTURA. Ita, de S. Scripturae θεοπνεύστια agitur *Exod. c. IV, 15. XIII, 1. c. XXIV. de Canonisatione, Exod. XVII, 14. de Perfectione, Deut. IV, 2. c. XII, 32. de Perspicuitate, Deut. XXX, 11. de Facultate normandi et decidendi controversas, Deut. XIII, 1, 2. c. XVII, 18, 19, 20. de efficacia Scripturae, Deut. XXVII, 10, seqq. c. XXVIII, 2, 3 seqq. de divisione eius in Legem et Evangelium, Deut. XXX, 15, 16, 17. c. XXXII, 39.*

Art. II. de DEO TRINVNO. Sic praecipua Dei nomina occurrunt *Gen. 1, 1. c. II, 2. c. XVII, 1. c. XIV, 18, 19. c. XIX, 3.* Et ipsa descriptio: *Deus est essentia spiritualis,*

F

*Exod.*

Exod. III. 14. Num. XVI. 22. infinita, Exod. III. 14. c. XXXIII. 20. una, Gen. XII. 19. Num. X. 29. Deut. VI. 4. aeterna, Gen. XXI. 33. Deut. XXXII. 40. perfecta, Deut. XXXII. 4. liberrima, Gen. XLV. 8. iusta, Exod. XX. 5. Deut. XXXII. 4. misericors, Exod. XXXIV. 6. omnipotens, Gen. XVII. 1. Ex. VI. 2. eademque essentia est PATRIS, FILII, et SPIRITVS S. Gen. I. 1, 3, 26. c. III. 22. c. XI. 7. c. XLVIII. 15, 16. Num. VI. 24.

Art. III. de MESSIA, seu CHRISTO. Messias est persona divina, quia dictus Iehovab, Gen. XVI. 7, 9. c. XXII. II. Creator universi, Gen. I. 1, 2. interprete Psalm. XXXIII. 6. mittendus ad liberandum genus humanum, unde appellatus Angelus, Exod. III. 2. c. XIV. 19. Num. XX. 16. c. XXII. 22. itemque Goel, Gen. XLVIII. 16. Futurus Deus simul et homo, Gen. III. 15. c. IV. 1. c. XXXII. 24. Nascendus ex muliere, Gen. III. 15. c. IV. 25. c. XXII. 18. Futurus Propheeta magnus, Deut. XII. 18. Rex item, Gen. XIV. 18. c. XLIX. 10. Num. XXIV. 17. Et sacerdos per sacerdotium Leviticum praefiguratus, Levit. I. seqq. mortem quidem subiturus, Num. XXI. 9. attamen de morte et diabolo triumphaturus, Gen. III. 15. XLVIII. 6.

Art. IV. de SPIRITV S. Ita per Canonem Mosaicum Spiritus S. est persona, quod ex actionibus personalibus claret, Gen. I. 2. c. VI. 3. Num. XXIV. 2. Et quidem divina, quia רוח אלהים, nec apud Mosen, nec apud Prophetas ventum notat, sed Spiritum S., tertiam divinitatis personam, Gen. XLI. 38. Exod. XXXV. 31. Num. XXIV. 2. eandemque a Patre et Filio distinctam, quod ex operibus distinctis patet, Gen. I. 2. c. VI. 3. Idem Spiritus est Creator universi, Gen. I. 2. est Sanctificator, Num. XI. 17, 24. c. XIV. 24. Et quae sunt cetera.

Art. V. de CREATIONE. Huiusnamque tempus Gen. I. 1.

Auctor

*Auctor DEVS trinus, v. 1, 2, 3. modus, obiectum et finis describuntur, Gen. I, 4 seqq. c. II, 2.*

Art. VI. de ANGELIS. Quorum asseritur *creatio, Gen. II, 1. munus, Gen. III, 24. multitudo, c. II, 1. c. XXXII, 2. defensio bonorum, Gen. XII, 2, 16. c. XIX, 1. lapsus, Gen. III, 5. aliaque.*

Art. VII. de HOMINE AD IMAGIN. DEI CONDITO. Cuius propria sedes *Gen. I, 26, 27. Nam causa efficiens Trinitas erat, l. c. v. 26. subiectum primum anima, quae ratione intellectus, vera sapientia, Gen. II, 19, 23. ratione voluntatis, perfecta iustitia, Gen. I, 31. c. II, 16. ratione appetitus, plena affectuum harmonia et sanctitate, Gen. II, 25. c. III, 7. radiabat. Subiectum secundarium corpus fuit, quod impassibilitate, quae apparet ex nuditate minime molesta, Gen. II, 25. et immortalitate, Gen. II, 17. gaudebat. Accedebat dominium in animantia, Gen. I, 26, 28. et habitaculum amoenissimum, Gen. II, 8.*

Art. VIII. de PROVIDENTIA DIVINA. Nomen occurrit *Gen. XII, 8. Providentia Generalis ex contemplatione omnium rerum conditarum elucescit, Gen. I, 18. Specialis ex conservatione Noachi, ingruente diluvio, ex defensione Lothi, Abraami, maxime vero ex liberatione populi Israelitici perspicitur.*

Art. IX. de PECCATO. Deus non est causa peccati, *Gen. I, 27, 31. c. IV, 7. Deut. XII, 9, 14. c. XXXII, 4. Sed historia lapsus originem eius ad diabolum refert, Gen. III, 1. Vnde peccatum originis, Gen. VI, 5. c. VIII, 21. ad posterum propagabile, Gen. V, 3. mortisque meritorium, Gen. II, 17. c. III, 17, 19. Nec non peccatum actuale, omnis generis, Gen. IV, 8. c. IX, 21, 22. c. XIX, 8, 30. c. XX, 2. c. XXII, 6 seqq. c. XXXV, 22. c. XXXVIII, 16 seqq. Ultimus peccati gradus induratio, qui et ipse homini tribuitur, Exod. VII, 13, 14. VIII, 32. XIII, 15. it. c. IX, 34.*

Art. X. de LIBERO ARBITRIO. Nomen per aequipollentiam occurrit, *Deuter. XXX, 19. Ante lapsum homo ad bonum et malum indifferenter se habebat, Gen. II, 17. III, 6, II, 13. post lapsum voluntas eius ad malum spirituale tota propendet, Gen. VI, 5. Equidem in civilibus libertate tum contrarietatis, tum exercitii gaudet, Gen. XIII, 8. XXIV, 58. sed ad sui conversionem ex viribus suis prorsus nihil confert, Deut. XXIX, 3. XXX, 6.*  
Art. XI. de LEGE. Lex positiva ante lapsum, *Gen. II, 16, 17. tum post lapsum solemniter promulgata est, Exod. XIX, XX. Distinguitur in ceremoniale, iudiciale et morale, Deut. VI, 1, 17. Exod. XXI, XXII seqq. Lex DEI est perfecta, Deut. IV, 2. XXVII, 26. damnans omnes extra Christum constitutos et occidens, Deut. XXVII, 15 seqq. vitam autem promittens sub conditione obedientiae, Exod. XX, 12. Deut. XXIII, 3, seqq.*

Art. XII. de EVANGELIO. Prot-Evangelium in paradiso traditum, *Gen. III, 15. in nominibus Patriarcharum ante diluvium conservatum, v. c. Gen. IV, 1, 18, 19, 25. postea in ἐπαγγελίαις de Semine promisso uberius explicatum, Gen. XII, 3. XXII, 18. typis itidem et umbris Leviticis, ceu mysteriis abstrusioribus, comprehensum, de quo Leviticus; extructisque altaribus, invocato Messiae nomine, clarius illustratum, Gen. IV, 26. XII, 8. XIII, 4. XXVI, 25. Exod. XXIII, 19. XXIV, 5.*

Art. XIII. de REGENERATIONE, quae ex sacramento Circumcisionis cognoscitur. Per hoc enim foedus in statum gratiae transibant Israelitae, pollicente DEO, *se in DEVM circumciso, futurum Gen. XVII, 7. Per hoc, peculum DEI, regnumque sacerdotium et populus proprietatis evadebant, Ex. XIX, 6. Deut. VII, 6. X, 15. quae pulcherrimae regentorum periphrases sunt.*

Art. XIV.

Art. XIV. de IVSTIFICATIONE. Nomen iustificationis sensu forensi legitur *Gen. XV, 6.* Caussa *impulsiva* Christi meritum, *Gen. III, 15.* caussa *organica ex parte DEI*, praeconium iustitiae evangelicae, a Noacho, aliisque promulgatum, *Gen. VI, 9. Hebr. XI, 7. ex parte nostri*, fides, *Gen. XV, 6. Actus formalis*, benedictio in Semine promisso, *Gen. XXII, 18.* i. e. imputatio iustitiae, *Gen. XV, 6.* et non imputatio sive remissio peccati, *Gen. IV, 7.*

Art. XV. de SANCTIFICATIONE. Sic a Circumcisionis et regenitis requirit Moses, ut *circumcidant praeputium cordis*, *Deut. X, 16.* ut *verba DEI super animam ponant*, i. e. observent, *c. XI, 18.* Regulas virtutum in Decalogo, exempla sanctimoniae in Patriarchis ostendit, serioque monet, ne *suae ipsorum virtuti et robori* quicquam tribuant, sed *DEO gloriam* relinquunt, qui *ipse vires praebuerit ad faciendam salutem*, *Deut. VIII, 18.*

Art. XVI. de ELECTIONE, et REPROBATIONE. Nomen aequae ac res ipsa occurrunt *Deut. VII, 6, 7. c. X, 15. XIV, 2.* Nam distinguit Moses inter *foederatos* et *a foedere DEI* seiunctos; illis *DEI gratiam et salutem*, his *excisionem e populo* denunciat, *Gen. XVII, 9, 14. Ex. XII, 15, 19. c. XXXI, 14. Lev. XXII, 3. Num. IX, 13. c. XIX, 20.* illos *libro vitae inscriptos*, hos *ex eodem deletos* docet, *Ex. XXXII, 32, 33.*

Art. XVII. de SACRAMENTIS V. T. quorum duo: alterum *Circumcisionis*, *Gen. XVII, 10* seqq. alterum *Paschatos*, *Ex. XII, 1*, seqq.

Art. XVIII. de POENITENTIA. Vox DEI vocantis primo homini terror erat, *Gen. III, 9, 10.* sed annuntiatio Evangelii solatium, *v. 15.* ut de *acquisitione salutis* gauderent, *c. IV, 1.* Omnium sane fidelium sacrificia cum confessionem peccatorum, tum eorum per Messiam

absolutionem spectabant, *Gen. IV, 4*. Sic impenitentes, ob Spiritum correctionis repudiatum, diluvio puniti sunt, *Gen. VI, 3*. poenitentes cum Noacho gratiam coram DEO invenerunt, *v. 8*. Sodomae everisionem pauci aliquot poenitentes deprecabantur, impii tandem et refractarii accelerabant, *Gen. XIIX, 26. XIX, 14*.

Art. XVIII. de ECCLESIA. Erat illa vel antediluviana, vel postdiluviana, utraque malis et bonis permixta, *Gen. VI, 2, 3. IX, 22. XI, 4*. Boni et fideles *Filii DEI* dicti, mali autem et infideles *Filii hominum*, *Gen. VI, 2, 3*. Duae sunt Ecclesiae claves, *ligans* altera, quae legis, altera *solvens*, quae Evangelii. Nam offertur remissio peccatorum Kaino, si credat, si in impenitentia perseveret, denegatur, *Gen. IV, 7*.

Art. XX. de TRIBVS STATIBVS HIERARCHICIS, *Ecclesiastico, Politico, et Oeconomico*. Discrimen horum statuum iam a prima mundi origine innotuit. Ecclesiasticus in Adamo, Setho, Enofo, Kainane, Mahalaleele, Jared, Enoch, Methusalem, Lamecho, ceteris eminebat, quos cum *συνχρόνως* deprehenderet Buchholzerus: *cogita hic*, inquit, *qualis Senatus fuerit, quale Collegium tot Patrum, veneranda canitie conspicuorum, in Chronol. p. 99*. Civilis emicabat in Kaino urbem exstruente a posteris eius inhabitatam, *Gen. IV, 17*. itemque in Nimrodo, *Gen. X, 8*. Oeconomicus ex institutione matrimonii et sustentatione familiae, *Gen. II, 22, 24*, intelligitur. Clarius tres illae hierarchiae ex ministerio Moſis, et Aaronis, ipsiusque populi obsequio dispalescunt, quarum discrimina per integrum Pentatevchum exponuntur. Nam Moſis et Aaronis erat, praecipere, populi vero, praestare obsequium, *Exod. XII, 28*. Idem in regimine populi Israelitici observatum, quia *Iehova gregem*



populum duxit per manum Moſis et Aaronis, *Pſ. LXXVII, 21.*  
Sic ergo DEVS Magiſtratum inſtituit, *Deut. XVI, 18.*  
miniſterium verbi ordinavit, *Exod. XXVIII, 1,* ſeqq.  
ipſique coniugio certos quosdam gradus, velut limites  
poſuit, *Levit. XVIII, XX.*

Art. XXI. de EXTREMO IVDICIO. Sic Abraamus  
Filium DEI, ſub habitu Angeli apparentem, appellat  
*Iudicem univerſae terrae, Gen. XVIII, 25.* Qui tremendi  
huius iudicii illuſtria fatis documenta in diluvio, ever-  
ſione Sodomae et Gomorrhae, aliisque malorum ſup-  
pliciis dedit.

Art. XXII. de CONSUMMATIONE SECVLI. Iam  
olim DEVS mundi interitum praedixit, *Gen. VI, 13. VIII,*  
*21, 22.* cuius adeo ſignum, utut remotius, erat *diluvium,* te-  
ſtante Chriſto, *Mattb. XXIV, 37, 38.* itemque Sodomae et  
Gomorrhae *conflagratio;* quæ eſſe debuit *exemplum,* ut Petrus  
loquitur, *iniuſtorum, qui in die iudicii aliquando ſic punien-*  
*di ſint, 2. Pet. II, 9.*

Art. XXIII. de RESVRRECTIONE MORTVORVM.  
Quam Chriſtus *Mattb. XXII, 32.* ex Moſe in hunc mo-  
dum evicit: Quorum ſeſe *DEVVM,* i. e. remuneratorem  
DEVS promiſit, illi non ſunt mortuis accenſendi, ſed  
viviſ, aut aliquando reſurrecturis. Atqui *Abraami, Iſa-*  
*aci, Iacobi, Ex. III, 6* Ergo. Maior patet, quia *beatus popu-*  
*lus, cui Iehova, DEVS eſt, Pſ. CXLIV, 15.* Alii id docent ex *cla-*  
*more ſanguinis Abelitici, vindictam poſcentis, Gen. IV, 10.* alii  
ex *mercede copioſa nimis, Abraamo promiſſa,* necdum in  
his terris praefita, *Gen. XV, 1.* alii ex aliis Pentatevchi  
locis.

Art. XXIII. de VITA et MORTE AETERNA.  
Enochus in coelum evocatus *vivus, Gen. V, 24.* Korach,  
Dathan et Abiram *vivi* descenderunt in infernum, *Num.*  
*XVI, 33.* Nam *furor DEI ignis succenſus eſt, ardens uſque*  
*ad*

ad infernum inferiorem, *Deut. XXXII, 22.* Alterum proinde piis futuri seculi praemium, alterum vero supplicium impiis decernit. Plura cumulare in praesenti non licet. Saltem ostendendum nobis fuit: Canonem Mosis non praeteritorum tantum, sed omnium quoque temporum normam existere, omnemque religionem et fidem, veramque ad salutem viam, eodem contineri. Diserte enim Paulus, *Moses, inquit, fidelis fuit in tota demo DEI, tanquam minister εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων* in testimonium eorum, quae dicenda erant, *Heb. III, 5.*

Ceterum, quod reliquos attinet libros, haud secus illos, ac quosdam Canonis Mosaiici commentarios et explanatores intuemur; non, quasi pari vel *θεοπνευσίας*, vel canonisationis dignitate non gaudeant, id enim supra assertum, sed, quod ad Canonem Mosis, velut ultimam normam, plerique omnes remittantur, cum hoc ad amussim congruant, eundemque vel explanent uberius, vel illustrent, vel confirment. Atque hinc admiranda illa totius Graeciae *Σ. παναρμομία* elucescit, ut, quicumque ab excessu Mosis editi sunt libri, eandem cum ipso religionem inculcent. *Hebraeorum πρώτος ἱεροφάντης καὶ θεολόγος, primus initiator et Theologus Moses extitit*, Eusebii verba sunt, *λοιπῶν δὲ Προφητῶν παῖδες, ἐξ ἑνὸς σώματος προεκήρυττον οἱ πάντες, reliqui autem Prophetae, ex uno omnes ore praedicarunt, Demonstr. Ev. L. V. p. 208.* Vnde et CLEMENS Alexandrinus ostendit, *Apostolos spirare et loqui Scripturas V. T., ipsamque Evangelii cognitionem, ἐξήγησιν εἶναι καὶ τῶ νόμου πλήρωσιν, expositionem esse, et legis adimplerionem, L. IV. Strom. p. 528.* Ut igitur non desint, qui

qui ex uno vel Propheta, vel alio libro S. quoddam Theologiae Systema concinnare voluerint; studio tamen et labori illorum non per omnia respondit eventus, nec scopo Spiritus S. id satis congruit, cum non appareat, quemvis librum Canonicum, integrum Canonem fuisse, ut folide docet B. Lyferus noster *Syst. Exeg. p. 63.*

§. XXVI.

Postquam igitur III. libris Mosaicis et ceteri, successu temporis, superadditi sunt, Canon Scripturae non intensive, quoad fidei substantiam, sed extensive, quoad uberiores capitulum fidei explicationem, incrementa cepit; quin immo, accedentibus tandem N. T. libris, ne sic quidem  $\sigma\upsilon\varsigma\alpha\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$ , sed tantum  $\omega\epsilon\rho\iota\varsigma\alpha\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$  auctus Canon et amplificatus est.

Scilicet, vel substantiam dogmatum respiciunt Theologi, quam in omnibus libris eandem reperiunt, vel numerum additorum subinde librorum, quibus in plenum hoc Systema Canon succrevit, illud augmentum *intensivum* ac *substantiale*, hoc *extensivum* ac *quantitativum* appellant, negantque alterum, alterum concedunt ac probant. Non enim alia in libris Historicis, Prophetis, aut Psalmis, quam in Mose occurrit religio; eadem omnium temporum fides; eadem fidei capita ceteris Scriptoribus  $\theta\epsilon\omicron\omega\upsilon\epsilon\upsilon\sigma\omicron\iota\varsigma$  explicata, quae ex Pentatevcho collegimus. Ipse Malachias, ultimus Prophetarum Ecclesiam, iussu DEI, remittit ad servandam Legem Moysi, quam toti Israelii praeceperat, cap. IV, 4. Tanta igitur, per tantum temporis intervallum, consensus in religione et fide perstitit. Nec mutata per accessionem librorum N. T., quin potius addito tam illustri promissionum complemento, stabilita penitus et obsignata est. Eadem enim utriusque Instrumenti basis et lapis angularis, *IESVS CHRISTVS*, cui superstructi

G

sumus

sumus, Eph. 11, 20. Idem utrobique fundamentum organicum, Verbum Legis et Evangelii: *testificor cum parvo, tum magno, nihil aliud me dicere, quam ea, quae Prophetae praedicarant futura, et Moses, Paullus inquit, Act. XXVI, 22.* Itaque quoad *συστατικά* et *essentialia fidei*, idem omnibus temporibus de Messiae *persona, nativitate, passione et morte* revelatum ac traditum fuit: sed *τὰ περιστατικά* et *circumstantialia v.c.* quod natus matre, *Maria, virgine desponsata*, passus sub *P. Pilato*, crucifixus in *monte Golgatha*, et huiusmodi, tantum abest, ut mutarint fidei substantiam, ut potius illustrarint magis, penitusque confirmarint. Vid. B. Lyserus in *Trisol. Rel. p. 63.*

### §. XXVII.

Itaque *IV. sub exordium N. T. Apostoli, ceterique Viri Θεόπνευστοι*, id fere unum egere, ut *Canonem V. T. in Christo adimpletum ostenderent: nec quisquam ante ad scribendum divino vel mandato, vel impulsu excitatus est, quam Messias universum redemptionis negotium consummasset.* Scilicet, cum per omnes Synagogas agitaretur controversia: *num Servator noster ὁ ἐρχόμενος, promissusque ille Messias esset?* praecipuum illud Praecursoris munus erat: *testari, hunc esse Filium DEI, et indice monstrare digito: hunc esse agnum DEI, Io. I, 34, 36.* Quoties ergo movebatur haec quaestio, toties ex characteribus, Messiae in Scriptura tributis, dirimebatur, *Io. V, 29. VIII, 25. Matth. XVI, 16. XXII, 42.* Sane, nec caput, nec pagina excipi potest, quin hanc ipsam causam peroret; unde B. Dorscheus in *Commentariis ad Evangelistas*, ex singulis Evangeliorum capitibus hanc format *ἄνωδος ἔτιν: E. Servator noster verus ille mundi Messias est.* Nam super hanc Petram

Petram univērſa aedificata Eccleſia erat. Atque haec illa methodus S. Virorum eſt, qua in convertendis Iudaeis uſi ſunt, ut patet ex interpretatione Petri, *Act. II, 14. III, II. IV, 8.* Philippi, *Act. VIII, 26.* Stephani, *cap. VII, 2.* Paulli et Barnabae, *Act. XIII, 46. XIV, 15, 16.* At enī, cur ſtatim ad ſcribendum non provolarint tot illi *αὐτόπται* Servatoris, tot eius comites et auditores, rationem modo attulimus; quia conſummandus ante erat curſus, quam literis conſignandus, cum boni non ſit Hiſtorici, res necdum geſtas perſcribere. Tum vero nondum ad hoc officium ſatis inſtructi erant auditores Chriſti, ſed ſingularibus Spiritus S. donis, cum ad praedicandum, tum ad ſcribendum Evangelium, coelitus imbuendi: *accipietis virtutem, cum Spiritus S. advenerit ſuper vos, et tunc eritis mihi teſtes, Act. I, 8.* Quo perſpecto, inquirunt, *voluit DEVS manifeſtari Chriſtum, nobis teſtibus ad hoc delectis, et praecepit nobis, praedicare populo et teſtificari, Act. X, 41, 42.* Nam, alius Evangelizantibus fuit ordo praedicandi, alius ſcribendi, Auguſtini verba ſunt, *ad cognoscendum quippe et praedicandum primi utique fuerunt, qui ſecuti Dominum in carne praesentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex eius ore ad evangelizandum miſſi ſunt. Sed in conſcribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum eſt, ex numero eorum, quos ante paſſionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt: primum Matthaeus, ultimum Ioannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tanquam filii, ac per hoc, in loco medio conſtituti, utroque ab iis latere munirentur, L. I. de Conſenſu IV. Evang. C. II.*

§. XXVIII.

Quoniam ergo V. iuſſu, impulſuque divino ſcripſerunt

*Amanuenses DEI N. T., atque hoc munus suum signis et miraculis confirmarunt, quin dedicarunt insuper libros suos Ecclesiis, cum univ[er]sis, tum singulis; ultro consequitur, eosdem pari Θεωπνευσίας et Canonisationis iure, cum V. T. libris gaudere.* Illud nimirum contra Iudaeos, aliosque Iudaizantes evincendum, qui N. T. libros, velut charactere Prophetico destitutos, a Canone Scripturae vel excludunt, vel minoris saltem faciunt, ac par est. Itaque postulamus a Iudaeis, idem nobis, et eodem quidem iure dari, quo illi Scripturarum V. T. divinitatem adstruunt; scilicet Prophetas, et testatos sua de Θεωπνευσία fuisse, et miraculis eandem obfirmasse. Idem vero est, quod de Apostolis demonstramus. Nam, uti Scripturam V. T., ut Θεόπνευστον agnoscunt, 2. Tim. III, 16. et Prophetas, ut Θερομένους ὑπὸ Πνεύματος ἀγίου celebrant, 2. Pet. I, 21. ita sibi quoque Spiritum S. aiunt emissum e coelo, ad praedicandum Evangelium, 1. Pet. I, 12. Nobis, inquit Apostolus, (sapientiam in mysterio) DEVS revelabit per Spiritum suum: nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex DEO est, 1. Cor. II, 10, 12. Ideo enim Apostolis promissus est Spiritus S., ut duceret eos in omnem veritatem, Io. XVI, 13. ideo solemniter ipsis impertitus in festo Pentecostes, ut non eloqui tantum, sed etiam scribendo consignare magnalia DEI possent, Act. II, 14. Eph. III, 3. Hoc enim ipso Lucas se distinguit a Psevdevangelistis, quod hi ex proprio conatu et studio, ipse vero ex instinctu divino, suum condiderit Evangelium: Quoniam complures conati sunt, ἐπεχειρήσαν, contere narrationem, quae inter nos exploratae fidei sunt, rerum; visum est et mihi, ut, cunctis ἀνωθεν, desuper accurate perceptis, deinceps scriberem, Luc. I, 1, 3. Primas proin-

proinde literas, quas Viri Θεόπνευστοι N. T. exarasse  
 leguntur, Spiritus S. dictamini tribuit Apostolica con-  
 gregatio: *visum est Spiritui S., ac nobis*, scilicet haec ad  
 vos perscribere, *Act. XIV, 28. Apoc. c. I, 19. II, 1, 12, 18.*  
*c. III, 1.* Sed, cum signa subinde peteret Iudaeorum  
 natio, ne his destitutos DEVS voluit Apostolos, ut di-  
 gni Prophetarum successores existerent. Nam diterte  
 Marcus: *Dominus*, inquit, *sermonem* (Apostolorum)  
*confirmavit per subsequencia signa, c. XVI, 20.* Nec succes-  
 su caruit haec Spiritus S. *Φανερωσις*, siquidem ser-  
 mones DEI ex *miraculis, variisque prodigiis, et virtutibus*  
*incrementa ceperunt, Hebr. II, 4.* Paullus etiam Aposto-  
 lus, cum adversariis suis decertans, ad *signa* provocabat,  
*virtutesque et prodigia*, in medio Ecclesiae *peracta*, atque  
 hoc pacto muneris sui veritatem assererat, *2. Cor. XII, 11.*  
 Quod si et haec negent Iudaei, descendant in se ipsos, et  
 exilii sui causas edisserant, quas sane ob repudiatum  
 Messiam, in Prophetis, abunde deprehendent. Vid. *Ier.*  
*XXV, 9. c. XXXIV, 17 c. XLII, 18. Amos VIII, 12. Zach. II, 6. c. VII,*  
*14.* Ceterum dedicationis formulas ex ipsis Aposto-  
 lorum Epistolis intelligimus, earumque inscriptiones  
 in Canonisationis vim interpretamur, quibus Ecclesiae ad  
 custodiendum depositum excitatae sunt. Quod enim de-  
 dicatum alicui ac consecratum est, id religiosius asserva-  
 ri consuevit. Neque vero his tantum Ecclesiis, sed  
 peraeque omnibus in Canonem datae fuerant, ut pro  
 fidei, vitaeque regula reciperentur. *Cum recitata fuerit*  
*a vobis Epistola*, Paullus monet, *facite, ut et in Laodicensi-*  
*sum Ecclesia recitetur, Col. IV, 16.* Aliquando obtestatur  
 Ecclesias, vellent Canonicae Epistolae copiam omni-  
 bus facere: *adiuro vos per Dominum, ut recitetur haec Epi-*  
*stola omnibus sanctis fratribus, 1. Thess. V, 27.* Iterum: *Si quis*  
*non obedit sermone nostro, per Epistolam, cum illo ne commercium*  
*amplius habete, 2. Thess. III, 14. 2. Cor. III, 2.*

1. *Tim.* VI, 20. 2. *Tim.* I, 14. Erant enim Apostoli a DEO  
 missi, *Φωτίσαι πάντας*, ad illuminandum omnes, *Eph.*  
 III, 9. 2. *Cor.* IV, 6. De Catholicis Epistolis res multo  
 clarior est, quin et de Apocalypsi, c. I, 3. c. XXII, 14. Nec  
 in ipsis Evangeliiis desunt Canonisationis vestigia: *haec*  
*scripta sunt, ut credatis*, Evangelii Ioannei clausula est,  
*et, ut credentes*, (quicumque fuerint) *vitam habeant per*  
*nomen eius*, c. XX, 31. XXI, 24. Lucas etiam Evangelium  
 se scripsisse memorat *ἕως ἀσφάλειαν ἐπιγνώσεως*,  
*in certitudinem cognitionis de omnibus, quae Iesus tum fece-*  
*rit, tum docuerit*, c. I, 4. *Aēt.* I, 1. Idem ex Matthaei  
 c. XXVIII, 19. et Marcii c. XIV, 15, epiphonemate elucescit.  
 Quibus omnibus summam connexis, ita argumenta-  
 mur: quoscunque libros Viri *θεοπνεύσοι*, signisque  
 et miraculis in munere confirmati, scripserunt, Eccle-  
 siisque cum universis, tum singulis in Canonem fidei et  
 morum serio commendarunt, illi citra controversiam  
 pro Canonicis habendi, et amplectendi sunt. Ratio pro-  
 positionis est, quia haec duo librum Canonicum con-  
 stituunt, *θεοπνευσία* scilicet et *Canonisatio divina*,  
 quod supra evictum. Atqui de libris N. T., Codice  
 Bibliorum comprehensis, prius hactenus patuit; unde  
 et relinquitur posterius, quod erat ostendendum.

§. XXIX.

Simuligitur ac VI. promulgatus est liber quidam *θεό-*  
*πνευστος*, illico *Canonicam in Ecclesia Apostolica auctori-*  
*tatem in se habuit; non demum vel ex universarum Eccle-*  
*siarum consensu, vel historica Patrum traditione, dignitatem*  
*illam ac valorem impetravit.* Duo inprimis nuperi Scri-  
 ptiores hic nobis obstrepunt, quorum alter *El. Dupinius*,  
 alter *Henr. Dodwellus*, utrique de antiquitate Ecclesiasti-

ca



ca insigniter meriti, sed, quam conciliare libris Canon-  
nicis student auctoritatem, altera manu detrahunt, ac  
fundamentis nimis ruinosis superstruunt. Dupinius e-  
nim totius Ecclesiae consensum, regulam facit, qua  
aetas Apostolica, et, quae huic proxima erat, libros  
Canonicos a spuriiis distinxerit: *neque a multis congrega-  
tis*, ait, *neque ab homine privato conditus est primus liberorum  
Sacrorum N. T. Canon, sed ab omnibus Ecclesiis, quae uno ani-  
mo de quorundam librorum auctoritate convenerunt, eosque  
pro divinis agnoverunt. Hic univrsarum Ecclesiarum con-  
sensus regula fuit, qua primitiva Ecclesia libros Canonicos a  
dubis et supposititiis decrevit; quam sententiam Eusebii  
auctoritate suffulcire conatur Dissert. Praelim. §. VI. Bibl.  
Novae. Verum, tanti quidem momenti non est hypothe-  
sis, ut eidem confutandae immoremur. Redolet enim  
decantatum Pontificiorum  $\tau\rho\acute{\omega}\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$ , qui  
Ecclesiae auctoritatem eo attollunt, ut hinc Canonifatio-  
nem, ipsamque  $\theta\epsilon\omicron\omega\nu\epsilon\upsilon\sigma\iota\alpha\nu$  librorum sacrorum di-  
iudicandam esse contendant; id quod supra nobis pro-  
fligatum §. XIX, XX. Multo autem periculosius Dod-  
velli  $\omega\alpha\rho\acute{\alpha}\delta\omicron\chi\omicron\nu$ , eoque diligentius evolvendum. Hic  
enim Patres alios *primae*, vicissim alios *secundae* successio-  
nis facit; ac illos quidem appellat, qui *ultimorum*  $\alpha\upsilon\tau\omicron\omega\tau\omicron\nu$   
 $\tau\tau\omega\nu$  s. Apostolorum, s. alterum Domini discipulorum fuis-  
sent discipuli, quorsum Clementem, Ignatium, Poly-  
carpum, Quadratum, Hermam et similes refert, qui  
sequenti etiam seculo testes esse potuerint Apostolicarum tra-  
ditionum, hos vero, qui Virorum Apostolicorum auditores  
fuerint, eorumque  $\delta\iota\delta\alpha\chi\alpha\iota\varsigma$  ac doctrinas ad posteros pro-  
pagarint, quo numero Iustinum, Irenaeum inprimis,  
eiusdemque  $\sigma\upsilon\gamma\chi\rho\epsilon\upsilon\gamma\omicron\varsigma$  censet. De utroque tradi-  
tio-*

tionum genere sic pergit: *Itaque nulla est omnino ratio, cur de ea traditione dubitemus, quae nobis N. T. Canonem transmissit. Dicopraeterea, ait, ut nulla alia solida ratio est, cur Canonem assentiamur praeter traditionem, sic traditionem illam, qua N. T. Scripturis credimus, non esse utique firmiorem, quam sit illa nostri Irenaei, Dissert. 1. in Iren. §. 36, 37. Latitabant, porro inquit, usque ad recentiora illa, seu Traiani, seu etiam fortasse Hadriani tempora in privatarum Ecclesiarum, seu etiam hominum scriniis scripta illa Canonica, ne ad Ecclesiae Catholicae notitiam pervenirent. Aut, si in publicum fortasse prodissent, adhuc tamen tanta scriptorum Apocryphorum, Pseudepigraphorumque turba obruebantur, ut ab eis inter nosci non possent, quin novo esset examine opus, novoque testimonio, l. c. §. 38. Atque ab hoc novo, quod vocat, testimonio pendere omnem illam, quam deinceps obtinuerint, quamque hodie obtineant scripta Apostolica, auctoritatem, *ibid.* Non mentionem Evangeliorum facere Scriptores aevi Apostolici, Clementem Romanum, Barnabam, Ignatium, Polycarpum, immo, ne ex Canonicis quidem recentioribus constare, ante Traiani aetatem, Ecclesiae innotuisse Evangelia, aut in usu vulgari Ecclesiasticis fuisse, §. 39. Effatum Christi allegasse Paullum *Act. XX, 35.* sed non ex aliquo eorum, quae hodie habemus, Evangelio: *latuerunt, inquit, in illis terrarum angulis, in quibus scripta fuerant Evangelia, ut ne quidem resciderint recentiores Evangelistae, quid scripsissent de iisdem rebus antiquiores, ibid.* Denique id unum agit Criticus, ut ante epocham Traiani, nec quatuor Evangeliorum Codicem pro Canonico habitum, nec, certum aliquem in Ecclesia Catholica librorum numerum receptum fuisse, pertendat, quem vel in caussis fidei diiudicandis, vel reiiciendis Haeticorum apocryphis, adhibuerint fideles. Quae sane hypo-*

hypothesis hoc est periculofior, quo apertius Canoni  
Apostolico univerto struit infidias. Nam (1) dari  
nobis petimus, Apostolos, aliosque Christi praecones  
divino afflatu excitatos, et subsequenter signis in mu-  
nere hoc extraordinario communitos tam ad scribendum,  
quam praedicandum Evangelium se accinxisse,  
eosdemque monumenta sua Ecclesiis sigillatim dedi-  
casse, atque, ut pro divinis ea reciperent, adiurasse, ut su-  
periore §. evictum. Aut, si negaverit istud Criticus,  
concedat oportet, per subsequas, quibus tantum tribu-  
it, traditiones, Scripturas N. T. Θεωπνευσίας demum  
atque robur Canonicum obtinuisse. Credimus autem,  
hoc promptius id largiturum nobis Dodvvelum, quod  
ipse pro signis et miraculis Apostolorum dimicat, ea-  
demque in tertium usque seculum inter Viros Apo-  
stolicos et Ecclesiasticos viguisse, peculiari ad Cypria-  
num Differt. ostendere laborat. Quin (2) ἐκ περισσῶν  
probamus, Epistolas aequae ac Evangelia, statim ac edi-  
ta fuissent, vim et auctoritatem Canonicam in Ecclesiis  
Apostolicis impetrasse. Nam, cum ad Romanos auda-  
cius se perscripisset, fateretur Apostolus, per datam sibi a  
DEO gratiam, obsecrat illos per Dominum nostrum Ie-  
sum Christum, et per charitatem Spiritus S., ut hanc eius  
διακονίαν acceptabilem, εὐπρόσδεκτον, redderent om-  
nibus Sanctis, Rom. XV, 15, 16, 31. quorum alterum  
θεωπνευσίας, alterum ἀντεπιδείξας et Canonisationis  
argumentum sat clarum erat. Hanc igitur Epistolam  
a primo cum publicationis, tum divulgationis momen-  
to auctoritatem Canonicam habuisse, quis dubitet?  
Non semel, sed saepius antehac Corinthios per Epistolam  
instituisse Paulum, vehementer credibile est, quando,

H

scri.

scripsi, ait, vobis per Epistolam, et quae cetera, nunc autem  
scribo vobis, 1. Cor. V, 9, 10, 11. Et illas quidem  $\text{Ἐπιτοῦλες}$   
fuisse nemo negaverit; nam quales erant sermone per Episto-  
las, cum abessent Apostoli, tales erant, cū praesentes essent ope-  
re, 2. Cor. X, 11. at, cum utramque illam, quae hodie partem  
Canonis facit, lectam vellet ab omnibus nomen Christi in-  
vocantibus in tota Achaia, et in omni loco, 1. Cor. I, 2, 2. Cor. I, 1,  
et diserte affirmaret sub finem, quae Corinthiis scribe-  
ret, omnibus reliquis se scribere, 2. Cor. XIII, 2, liquido apparet,  
vim Canonis sacri utramque Epistolam iam tum apud  
omnes exeruisse, et de veritate coelesti lectores convi-  
cisse. Neque vero ita creduli erant Graeci, quin vel  
Epistolas Apostoli varie explorarent, et quandoque  
 $\betaαβείας$  καὶ  $ἰχθυῶν$  reprehenderent, 2. Cor. X, 10. vel  
specimen divinae inspirationis ab illo exposcerent:  
experimentum quaeritis in me loquentis Christi, at spero,  
vos cognituros, quod non simus reprobī, 2. Cor. XIII, 3, 6.  
Nam tanta erat verbi perscripti efficacia, ut ipso DEO  
cooperante in omnium animis radices ageret. Non enim,  
addit, qui se ipsum commendat, probatus est, sed quem Dominus  
commendat, ib. c. X, 18. Quod si ergo Apostolorum scri-  
pta DEI ipsius auctoritate commendata Ecclesiae sunt,  
vanissimum est asserere, nullam aliam solidam esse ratio-  
nem, cur Canonis assentiamur, praeter Ecclesiae traditionem.  
Proinde, non egemus, alibi Apostolus ait, commendatitius  
Epistolis apud vos, aut a vobis commendatis,  $\text{Ἐπιτοῦλες}$ .  
Sed epistola vestra vos estis, inscripta in cordibus  
vestris, quae intelligitur et legitur ab omnibus hominibus,  
2. Cor. III, 1. Itaque nec liber Canonicus eget tradi-  
tione. Sed forte non illico fidem, aut vim obligandi  
fortitae sunt Paulli, quas scripsit, Epistolae: illud vero  
est, quod negamus. Tametsi enim quibusdam ser-  
mo crucis stultitia fuerit, tamen his, qui salutem conse-  
queban-

*quebantur, potentia DEI erat, 1. Cor. I, 18. Gloriatum Apo-*  
*stolus in Domino, de Romanorum, aliarumque gen-*  
*tium obedientia, quam Evangelio praestiterint, Rom.*  
*XVI, 17, 18. Omnes autem ore tenus conversos fuisse,*  
*non est credibile, igitur per Epistolas id confectum*  
*fuisse oportet. Et ipsi quidem Corinthii per Episto-*  
*lam, ad poenitentiam salutarem perductos, et ex Evangelio*  
*genitos fuisse, ex 1. Cor. IV, 15. 2. Cor. VII, 9. constat. Ga-*  
*latae per Epistolam, manu Apostoli ex aratam convictae sunt,*  
*ut iuxta regulam incederent, Gal. VI, 11, 16. Thessaloni-*  
*censes sermonem Apostoli acceperunt, non, ut sermonem ho-*  
*minum, sed, uti revera erat, sermonem DEI, 1. Thess. II, 13.*  
*Ephesii ex iis, quae scripserat Apostolus, legentes intelligen-*  
*bant cognitionem in mysterio Christi, Eph. III, 4. Colossenses*  
*αὐτὸς ἦς ἡμέρας, ex eo die, quo audierant sermonem Evan-*  
*gelii, cognoverunt gratiam DEI in veritate, c. I, 5, 6. Qui*  
*fane effectus non sunt traditionum Ecclesiasticarum, sed*  
*verbi coelestis, vidi illius et quovis gladio penetrantioris,*  
*Hebr. IV, 12. (3) Praeterea fallit Ecclesiam Dodvvel-*  
*lus, quod in scriniis privatorum hominum latitasse*  
*credit scripta, quae hodie suppetunt, Canonica, usque*  
*ad tempora Traiani, utpote Apocryphis et spuris per-*  
*missa, et novo demum Ecclesiae examine explorata.*  
*Hoc enim nihil aliud est, quam Ecclesiae, et illi qui-*  
*dem nec θεοπνεύσω, nec Apostolicae permittere*  
*arbitrium de libris Canonicis disponendi pro lubitu,*  
*quasi veritas superstructa Ecclesiae foret, non Eccle-*  
*sia ipsimet veritati, Eph. II, 20. Quam vero audax ac fri-*  
*vola assertio est? Libros Canonicos sub primum Evan-*  
*geli cursum in scriniis privatorum hominum latitasse?*  
*An nescit eam esse Evangelii naturam, ut velocissime cur-*  
*rat, Ps. CXLVII, 15. Annon aevo statim Apostolico*



*exire debuit in omnem terram canon Apostolorum, et in fines orbis terrarum verba (literae) eorum, Rom. X, 18. Scribit Apostolus, Evangelium per potentiam signorum et prodigiorum in virtute Spiritus S. Iudaeam et Illyricum iam implevisse, Rom. XV, 29. immo per totum mundum fructificasse, Col. I, 6. an fieri id potuisse censet citra literarum commercium, et citra librorum Θεοπνεύτων communicationem? At, internosci non potuisse, inquis, libros divinos ab humanis et spuris: qui vero internosci et distinguere potuerunt ab Ecclesia recentiore? Annon αὐτόγραφα extabant, subscriptionibus Apostolorum munita? annon ex elenchis, turbae adversariorum oppositis, dignosci poterat veritas coelestis? nullus enim liber N. T. est, quin vel Pharisaeis et Sadducaeis, vel Pseudapostolis, vel cohorti Anti-Christi, aliisque Haereticis sit oppositus. Quin ipsimet Apostoli prospiciebant Ecclesiae, ut genuina possent a spuris discernere. Non alia scribimus vobis, quam, quae legitis, aut etiam agnoscitis, et spero, vos εἰως τέλους perfecte eadem agnituros, quae nunc ex parte agnovistis, 2. Cor. I, 13. Tandem vero (4) nihil derogat libris Canonicis Scriptorum aevi Apostolici silentium, cum non egeat testimoniis humanis Scriptura, quae suis ipsius radiis divinitatis coruscat. Nec enim ipse V. T. Canon succedentis Ecclesiae approbatus est testimoniis, an ergo, vel de divina eius auctoritate dubitandum, vel dicendum ideo? non aliam dari solidam rationem, cur Canon V. T. assentiamur, praeter Ecclesiae traditionem? Conqueruntur alii, quod adeo pauca aevi Apostolici monumenta extant; nos vero in singulare providentiae divinae argumentum id interpretamur, et ideo factum censemus, ut solis Scripturis Canonicis propa-  
gati*

gati Christianismi gloria relinqueretur. Nec obstat, Paullum, ipsosque posteriores Evangelistas nominatim non allegasse priores: quoniam Virorum  $\Theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma\omega\nu$  non est, semper  $\kappa\alpha\tau' \acute{\omicron}\nu\omicron\mu\alpha$  citare Scriptores, ne forte plagii ab empactis incusentur; sufficit allegatio  $\kappa\alpha\tau\grave{\alpha} \tau\omicron \pi\rho\acute{\alpha}\gamma\mu\alpha$ , et quoad *doctrinam*, quo pacto Paullum non tantum, sed et ceteros, sive Evangelistas, sive Apostolos, ex Antecessorum monumentis, quaedam  $\rho\eta\tau\acute{\omega}\varsigma$  nonnunquam, in harmoniae testimonium, adduxisse constat. E. G. *Marc. 1, 9, 10, u. c. III, 28, 29. Luc. III, 16. c. IV, 1. Io. 1, 26, 27. c. II, 14, 15. Act. 1, 1. c. III, 13, 14, 15. c. XX, 35. Rom. II, 6, 16. 2. Petr. I, 16, 17. Iac. III, 1, 1. Io. III, 23. c. V, 3.* et longe plura.

§. XXX.

Vt ut ergo VII. Apostolica haec aetas a Pseudepigraphis aliena hant fuerit; tamen Evangelia, ceteraeque Canonicae Scripturae undiquaque praevallere, latiusque exsplenduerunt, donec S. Ioannes, ultimus Apostolorum, et Evangelistarum sua Codici S. monumenta adiungeret, et libros, qui iam extabant,  $\Theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\acute{\upsilon}\varsigma\omega\nu$  recenseret, a spuris distingueret, et velut, alter Malachias, Canonem N.T. obsignaret.

Vt nulla unquam aetas vacavit ab Haereticis, ita Apostolica illa suis quoque exercebatur fati. Non enim hostes tantum Evangelii suos Ecclesiae obtrudebant foetus, sed ipsimet Christiani ex bona intentione peccabant, credebantque, *verbum DEI inefficax fore, nisi regnum Christi fabulis, mendacisque promoverent*, quod de Sibyllarum auctoribus iudicat Scaliger *Ep. CXV. p. 279.* Magna huiusmodi Scriptorum feget creverat in Ecclesia, nec exigua illorum pars suffocata, et in herba veluti suppressa est, pars autem ad posteros transmissa, quorum vid. Vener. D. Ittigium no-



strum *Dissert. de Pseudepigraphis aevi Apostolici.* Quo magis mirari subit, lucem adeo spretis ortam initiis in tantum erupisse splendorem, tantamque Haereticorum, Sectariorumque caliginem dispulisse, ipsam hanc piscatoriam simplicitatem tot Philosophorum, qui tum regnum tenebant, argutias contudisse, brevique adeo temporis spatio, i. e. intra 40. aut 50. annos, si ab ascensione Christi, usque ad excessum Ioannis, qualemcunque computum facias, Paganismum et Iudaismum universum vel prostravisse, vel infregisse. An igitur in scriniis latuisse dixeris Evangelistarum et Apostolorum oracula intra hoc intervallum? vel, ut Servatoris verbis utamur: *num lucerna incensa est, ut subter modium poneretur, aut subter lectum? absit: nonne, ut super candelabrum poneretur? Marc. IV, 21.* Sane, postquam Christus, evectus in coelos, praeter alios, etiam *Evangelistas* constituisset, qui scribendo, aequae officium suum facerent, ac praedicando, non sane otiosum hoc munus esse docuit, aut sine fructu, sed ita validum et efficax, ut et *docentes instruerentur ἐν διακονία*, et *totum corpus Christi ἐν ὀικοδομίῃ* persiceretur, *Eph. IV, 11, 12.* Ast, num huius incrementi quoddam suppetit testimonium? audiamus Petrum, Apostolorum facile principem, qui *in agnita veritate, exultasse* suos affirmat, *1. Pet. 1, 6.* audiamus et Paullum, qui gloriatur in Domino, quod *fructum Evangelii sui, sive scripti, sive annunciati, videat inter omnes gentes, et in toto mundo, Rom. 1, 8, 13.* audiamus et Ioannem, ultimum Apostolorum, qui edoctus fuerat *de numero signatorum in frontibus suis, i. e. ad Christum converforum; erant enim iam tum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël, ex gentibus autem omnibus,*



minibus, et tribubus, et populis, et linguis tanta turba, ut  
dinumerari non posset, Apoc. VII, 4, seqq. Facta iam tunc  
fuerant regna huius mundi, Domini nostri et Christi eius, re-  
gnaturi in secula seculorum, c. XI, 15. Quo vero pacto  
obsignata est tanta hominum multitudo? an traditione  
Ecclesiae, minime vero, sed sola verbi acceptatio-  
ne: qui enim accipit testimonium (Evangelium) Christi,  
obsignat veritatem DEI, Io. III, 33. Neque tamen se-  
mel et simul sapientiae divinae thesauros effudit DEVS,  
sed, instar boni Patrisfamilias, iusto quodam ordine,  
Ecclesiae suae haec *deposita* concredidit, ne tot cime-  
liis cumulativè dispensatis abuteretur. Primum o-  
mnium Evangelium Matthaeus scripsit, cuius rei ple-  
nus est antiquitatis consensus; saltem de tempore scri-  
ptionis res dubia est, aliis *octavum* post ascensionem  
Christi, aliis *quintum* ac *decimum* annum editioni huius  
operis assignantibus. Vtraque sententia suis quidem  
nititur testibus, at ampliorem tamen apud nos fidem  
prior illa reperit; cum enim ante annum a passione  
Servatoris XII. Apostoli Iudaeae finibus egressi non  
fuerint, uti ex Actis Apostolicis perspicitur, non est  
credibile, Apostolos interea temporis ab omni litera-  
rum commercio abstinuisse, quo minus tot nationes  
et gentes, quae in feriis Pentecostalibus Evangelium  
receperant, ulterius in fide confirmarint. Vid. *Codex  
Arab. de IV. Evang. a Kirstenio illustratus*, p. 24. seqq.  
Ceterum Marci Evangelium Xmo, Lucae autem  
XVto, post ascensionem Christi scriptum fuisse, non  
desunt ex veteribus, qui affirmant. At obtare vide-  
tur Irenaei testimonium, qui utriusque Evangelia post  
Epistolas Petri et Pauli demum edita fuisse scribit;  
*Matthaeus, in Hebraeis, ipsorum lingua Scripturam edidit  
Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangeliza-  
rens,*

rent, et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum,  
(<sup>2</sup>Ξόδοῦ, i. e. obitum, ut Valesius contendit adversus  
Christophorfonum, qui excessum ex urbe Roma hic in-  
telligendum putavit) Marcus, discipulus et interpretes Pe-  
tri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta no-  
bis tradidit. Lucas autem, sectator Paulli, quod ab illo prae-  
dicabatur Evangelium, in librum retulit. Postea et Ioan-  
nes, discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbe-  
bat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiae commoratus,  
L. III. c. I. Conf. Vales. in Notis ad Euf. p. 24. Sed iste quidem lo-  
cus non facit, ut utraque Evangelia Epistolis Paullinis  
iuxta et Petrinis recentiora existimemus. Nam non  
obitum Apostolorum, sed exitum ex urbe indigitari ipse-  
met contextus innuit, cum <sup>2</sup>Ξόδοῦ Irenaeus opponat  
commorationi illorum, omniumque Evangelistarum  
ordinem chronicum ex instituto designet. Accedit  
luculentum Eusebii testimonium, quod ex Papia Hiero-  
solymitano et L. VI. Hypotyposeon Clementis af-  
fert, L. II, H. E. c. 15. scilicet, *Petrum Apostolum auctoritate  
sua S. Marci Evangelium approbasse, ut in Ecclesiis deinceps  
tegeretur.* Quod attinet Lucam, et hunc post  
Paulli exitum ex urbe Evangelium suum literis confi-  
gnasse, vel inde colligitur, quod narrationem Actorum  
Apostolicorum, quam quasi appendicem historiae de  
Christo edidit, in biennio, quo Paullus Romae fuit  
finierit, eam procul dubio ulterius continuaturus, si diu,  
post discessum ab urbe, aut post excessum utriusque Apo-  
stoliscrispsisset. Nam iterum ei haud diu post iunctum  
fuisse, atque ad finem usque vitae adhaesisse, ultima  
Paulli epistola 2. Tim. c. IV, II. testatur, ubi scribit; *Lu-  
cas mecum fuit solus.* Quin et Apostolus 1. Tim. V, 18.  
quandam Lucae sententiam ex c. X. Evangelii v. 8. ci-  
tavit.

tavit: *dignus est operarius mercede sua*, quod dictum in aliis Scripturae libris non reperitur. Vid. CL. Grabium in *Not. ad Irenaeum p. 199.* At vero de Ioanne Evangelista aliter habendum, utpote quem constat reliquis omnibus Apostolis recentiore, et iuxta Eusebium et Hieronymum, centenario maiorem fuisse; unde et τῷ πρεσβυτέρῳ, i. e. Senioris, nomen sibi dedit *Ep. II, et III.* Chronicon certe Alexandrinum mortem eius ad Annum CHR. CIV., adeoque ab ascensione Domini LXXII. refert, quem quidem computum ceteris praeferendum censet Caveus *Hist. Lit. p. 10.*

Hunc igitur, statuo, instar *Efrae* alicuius et *Malachiae*, Criticum Sacrorum librorum et censorem egisse, digressisse Canonem N. T., Θεόπνευσα ab apocryphis distinxisse, suisque adeo monumentis universum Codicem obfignasse. Nam 1) quod notatu dignum, omnibus suis libris, clausulam Canonisationis adiecit, eoque colophonem et Evangelii, et Epistolae, et Revelationibus, totique adeo codici sacro imposuit. Equidem quo tempore suos consignaverit libros, non est per omnia exploratum. Ac communis quidem sententia est, Apocalypsin A. C. XCVI, *Domit. XV*, cum in Pathmo esset, conscriptam fuisse; Epistolarum editionem ad A. XCVII. adeoque post reditum ex Pathmo, et denique Evangelium ad A. CIV. referendum esse, de quo legatur Euseb. L. III. c. 24. addantur Caveus et Dupinius ll. cc. At, cum auctoritate non adeo firma hic ordo nitatur, videor mihi solidius quoddam fundamentum in ipsamet Apocalypsi reperire. Nam c. I, v. 2. testatus dicitur, *Sermonem DEI, λόγον Θεῶν, et testimonium IESU Christi, et quae vidit.* Non putem haec ταυτολογικῶς dici, quin potius affirmem,

primum praestitisse Ioannem in Evangelio, ubi λόγος  
Divinitatem asseruit, alterum in Epistolis, quas Anti-  
Christo et complicitibus opposuit, tertium in Apocaly-  
psi, qua illustres visiones sibi oblatas exposuit. Qui-  
bus fere causis adducor, ut credam, Apocalypsin ul-  
timum Ioannis monumentum esse, et divinum quod-  
dam signaculum, quo universa Scriptura per severam  
illam, quae addita est c. XXII. 18. contestationem, com-  
muniatur. Accedunt testimonia Veterum ab Heideg-  
gero in hanc sententiam citata *Enchir. Bibl. p. 1017.*  
Quicquid huius rei sit, nobis omnino sufficit, Ioan-  
nem singulis libris suis epiphonema quoddam Canoni-  
cum addidisse, quo, de obsignato Scripturae Canone,  
haud obscure testaretur. Sic Evang. c. XX, 30. et  
XXI, 24, 25, ait: *Multa quidem alia signa fecit Iesus in  
conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in li-  
bro hoc: haec autem scripta sunt, ut credatis, quod IESUS  
sit Christus ille DEI Filius, et, ut credentes vitam habeatis  
in seculo nomen eius.* Idem paulo aliis verbis reperitur ca-  
pite subsequenti. Epistola I. per omnia *δοκιμασίαν*  
et censuram Anti-Christi, et spiritum seductorum  
continet, iactatas Pseudo-Prophehtarum revelationes  
reprimit, *omnia nobis revelata esse* per unctio-nem s. ef-  
fusionem Spiritus S. docet, et *in his manere suos iubet us-  
que ad apparitionem Christi,* c. II, 27, 28. c. IV, 1. seqq.  
Denique *Hec scripsi vobis,* concludit, *ut sciatis quod vi-  
tam habeatis aeternam, et ut credatis in nomen Filii DEI;*  
*scimus autem,* nomine Ecclesiae addit, *quod Filius DEI venit,  
hic est verus DEUS & vita aeterna;* c. V, 13, 20. qua qui-  
dem clausula haud quicquam *ἐμφατικώτερον* esse  
poterat. Epistola II. simili epiphonemate finit traditam  
de Christo doctrinam: *omnis, qui transgreditur, et non*

MA

manet in doctrina Christi, DEUM non habebit; si quis ergo venerit ad vos, & hanc doctrinam (toties perscriptam 2. Io. II, 14.) non attulerit, ne recipiatis eum in domum, nec dicatis ei ave, v. 9, 10. Epistola III Canonicam auctoritatem sic commendat: Nos testimonium veritatis perhibemus, et noscitis, quod testimonium nostrum verum est. v. 12. Denique Apocalypsis, Mosaicum illud anathema repetit, contra interpolatores Canonis: Contestor omni audienti verba Prophetiae libri huius, si quis apposuerit ad haec, apponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto: et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiae huius, auferet DEUS partem eius e libro vitae, c. XXII, 18, 19. Quibus omnibus paulo altius expensis, nemo dubitaverit, Ioannem Codicem N. T. et absoluisse, et in custodiae fidem posteritati commendasse.

2) Testatur Eusebius, eo capite, quod Ioannis res gestas explicat, hunc Apostolum non tantum omnes Ecclesias disposuisse et ordinasse, sed etiam tria reliquorum Evangelia ἀποδέξασθαι, i. e. recepisse in Caanonem, vel approbasse, ut reddidit Valesius, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse, Lib. III. 23, 24. Sic et Hieronymus, accuratus Scriptorum veterum censor, Ioannem, ait, cum Matthaei, Marci et Lucae perlegisset volumina, probasse omnino textum historiae, et veritatem eorum confirmasse. Catal. Scr. c. X. Mos autem

3) ea aetate fuit, Apostolum viri θεοπνεύστου scriptum approbare, si non, ut divinitatis opinio illi conciliaretur, quam ex se ipso iam habebat, tamen ut legeretur in Ecclesia, et ad confirmandam fidem adhiberetur. Nam et S. Petrum constat, Evangelium Marci auctoritate sua comprobasse, (κυρωσας, quod de confirmatione Testamenti usurpari solet Gal. III, 15.) ut deinceps in

*Ecclesiis legeretur, teste Eusebio L. II, c. XV. Haereticique quoque illius temporis, ut notat Irenaeus, sese iactabant emendatores Apostolorum, i. e. Scriptorum Apostolicorum, L. III, c. I. quidni et Ioannem existimemus curam librorum Apostolicorum, et propagandae fidei habuisse, quandoquidem cum Episcopis Asiae conuentus celebrare solitus fuit, et usque ad Traiani tempora cum iis permansit, i. e. consilia de amplificanda Ecclesia iniit, ut Irenaeus L. II. c. 39. et Eusebius H. E. L. III, c. 23. commemorant. Denique(4) cum constans antiquitatis assertio sit, Ioannem praetermissam a reliquis Evangelistis narrationem rerum circa initium praedicationis a Christo gestarum desiderasse, ex voto Ecclesiarum Asiae, supplevisse, et regulam veritatis in Ecclesia constituisse, uti est apud Irenaeum L. III. c. II. et Eusebium H. E. L. III. c. 24. Hieron. Catal. c. 9. vel exinde perspicuum est, Apostolum hunc librorum priorum criticum ac censorem egisse, et sic codicem sacrum, in iis omnibus, quae supplenda erant, ex inspiratione divina consummasse.*

§ XXXI.

Itaque VIII. statim ab excessu S. Ioannis, de pleno consummatoque Canone, numeroque librorum et ordine in Ecclesia, constitit, donec uno volumine coagmentatus, et Synodica tandem auctoritate uberius declaratus est. Iam ante Ioannis obitum, libros, qui prodierant, Canonicos sua auctoritate, per Ecclesiam innotuisse, satis, ut opinor, docuimus. Sed nec minus agnita illorum auctoritas, et celebrata per Ecclesiam est deinceps, quod mirum est, negare Dodvvellum. Nam, si Patres aevi Apostolici, et ipsos adeo Apostolorum, inprimis autem Ioannis *συμβιβηότας*, consulueris, non equidem illi totius Syntagmatis, ut hodie comparet,

paret, mentionem faciunt, interim ex Scripturis Canonis plurima, earumque ad fidem et vitam sufficientiam agnoscunt. Audiamus Clementem Romanum, ipsius Paulli comitem, et *συνεργόν*, et Petri Apostoli, ex Origenis sententia, discipulum; cuius Epistola ad Corinthios tanto olim in pretio apud Veteres fuit, ut in Ecclesiis publice legeretur, testibus Eusebio, Hieronymo, Photio, et aliis apud Dn. D. Ittigium *Diss. de Patribus Apost. p. 243.* Certe *γνησιότης* eius hodie inter eruditos indubia est. Hic, adducta ex Luc. VI, 36. concione Christi; *in primis*, inquit, *memoria recolite sermones Domini Iesu, μάλιστα μνημένοι τῶν λόγων τῆς Κυρίας Ἰησοῦ*, quos *aequitatem et longanimitatem docens, locutus est*: Misereamini, ut misericordiam consequamini, et cetera, *p. 25. Edit. Ittig.* Et, ne quis hic sermones non scriptos intelligat, alibi Canonicas N. T. Scripturas sic commendat: *Scripturas diligenter inspicite*, de Apostolis modo dixerat, *quae Spiritus S. vera sunt oracula, in illis nihil iniustum, neque fictum, aut simulatum contineri, discite*, *p. 77.* Et rursum: *Beati Paulli Apostoli epistolam (1. ad Corinthios) in manu sumite, et, quid primum vobis statim in initio Evangelii sui scripserit, perpendite*, *p. 81.* Equidem Scripturis V. T. plenius abundat; interim tamen non desunt commonefactiones de libris N. T. amplectendis: *qui caritatem in Christo habet, servet Christi mandata*, *p. 83.* Iterum: *recordamini verborum Domini nostri Iesu Christi; dixit enim, vae illi, per quem veniunt scandala* etc. *p. 81.* Huic iungimus Ignatium, quem non quidem *αὐτόπτην* Christi, cum Huetio, et aliis dicimus, at Apostolorum tamen, et Ioannis in primis, familiarem, ceumagno antiquitatis consensu id comprobatum. Hic

ergo, quia Ioanne inferior, [anno enim CHR. CVII. obiit,] multa tradit ad obliuationem Canonis facientia. Nam in *Epistolis*, quae extant, genuinis, V. et N. T. Scripturas sedulo contendit, ex utrisque solidas, integrasque partes adducit, ac de Evangelio subinde illud repetit: *ὅτι γέγραπται*. Summam autem totius Evangelii esse dicit: *adventum Salvatoris, Domini nostri Iesu Christi, passionem et resurrectionem eius, ad Philadelph. p. 65.* Denique *suas admonitiones Petrinis, ac Paulinis longe inferiores esse*, palam fatetur *Ep. ad Rom. p. 87.* Ut vero Evangeliorum sigillatim, et Epistolarum omnium non meminerit, quod urget Dodvellus, sufficit, quod generatim Scripta *Θεόπνευστα* commendat: *studete*, inquit, *ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia, quae facitis, prospere vobis succedant, Ep. ad Magnes. p. 53.* Addimus Polycarpum, qui ad vicesimum usque annum Ioannis auditor fuit, iuxta computum Melanchthonis *in vita Polyc. p. 341. T. II. Decl.* Tradit is in *Epistola*, quae superest, *ad Philippenses*, quoddam fidei Christianae compendium, et ex omnibus fere libris Canonicis adducit oracula; *Prophetas*, ait, *annunciasse adventum Domini nostri Iesu Christi, Apostolos vero evangelizasse.* Hinc verbo inbaerendum esse, monet, quod *in principio ab Apostolis traditum sit*, et Paullinas imprimis Epistolas consulendas, *ex quibus Ecclesia possit aedificari in fide*, et huiusmodi plura. Quae quidem testimonia minime spernenda sunt, at maius tamen illud, quod Canonicam hanc veritatē ipsa morte sua obsignarunt tanti Athletae, ut monumentis fide dignis proditū. Quod *numerum librorum* attinet, crescebat ille Apostolica aetate, sed cum S. Ioanne perficiebatur. Testem huius rei Irenaeum habemus, qui integro capite ostendit



dit: quod *neque plura, nec pauciora, quam quatuor possint esse Evangelia*, ut habet inscriptio *c. XI. L. III. adv. Haer.* additis insuper comparationibus, de *quatuor mundi regionibus*, de *quatuor domus columnis*, de *quatuor animantibus Ezechielis*, et aliis, quibus sat clare docebat, nec plura existere, nec deinceps proditura eiusmodi monumenta. *Tanta est, pergit, circa haec Evangelia firmitas, ut et ipsi Haeretici testimonium reddant iis, et ex ipsis unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam, ibid.* Sic, de *quatuor Evangelis ex traditione accepti*, Origenes inquit, *quod sola in universa Ecclesia DEI, quae sub coelo est, contra controversiam admittantur*, apud Eusebium *L VI. C. XXV.* At, quid de ceteris Apostolorum scriptis habendum? quorum aliquam partem dubiam, eoque serius in numerum receptam fuisse constat, veluti de *Epist. ad Hebraeos*, de *altera Petrina*, de *II. et III. Ioannis*, de *Iacobi* item et *Iudae Epistolis*, ipsaque *Apocalypsi* quam notissimum est. Reperendum illud, *librum divinum, quam primum, ex intentione DEI, Ecclesiae, in regulam concreditus est*, iam tum inter *Canonicos iure suo locum tenere*, nec ideo ex illorum numero excludi posse, quod haec vel illa Ecclesia de eius *ΥΠΟΘΕΤΗΤΙ* aliquando dubitavit. Perinde, ut nihil derogat auctoritati Canonicae, quod ab Haereticis hoc et illud Evangelium quandoque repudiatum sit. Epistolas sane Paulli omnes inter se consonare, et concisionibus eius in *Actibus Apostolicis* obvius respondere, fateretur Irenaeus, et ex ipsis eius *Epistolis se peculiari libro id ostendisse*, scribit, addito epiphonemate: *apodixes, quae sunt in Scripturis, non posse ostendi, nisi ex ipsis Scripturis, L. III, c. 12.* De ordine librorum, ipsaque digestionem totius corporis res peraeque difficilis est. Et  
iam

iam olim de eo disputatum fuisse observes. Nam Marcionitae, qui ab aevo Apostolico propius aberant, Epistolas Paullinas perverso ordine recitabant, et (1) Epistolam ad Galatas, (2) ad Corinthios primam, (3) ad Corinth. secundam, (4) ad Romanos, et *s. p.* collocabant, notante Epiphanio *Haer. XLII. f. 310, seqq.* Sed confutat eosdem Epiphanius, et perversum hoc Syntagma ad *ordinem Apostolicum* revocat, quem plane eundem cum nostris codicibus facit. *Quicquid est, inquit, integrorum et fide dignorum codicum, primum, ad Romanos Epistolam collocat, non eam, quae ad Galatas est, quam tu primam esse, Marcio, voluisti, ibid.* Marcionem in aetatem Polycarpi incidisse, quis nescit? quippe cui *primogenitus Satanae* audiebat, Polycarpum autem ipsius Ioannis familiarem fuisse, iam supra patuit; unde in eam adducimur sententiam, ad ipsosmet *conventus Ioannis*, quos cum Asiae Senioribus celebrare solitus fuerat, testibus Irenaeo et Eusebio *ll. cc.*, hunc ipsum *Librorum ss. ordinem* referendum esse. Nam τὰ ζῶα καὶ ἀληθῆ ἂντίγραφα, quae consuluerat Epiphanius, haud dubie antiquitatem Apostolicam spirabant, alioquin fide adeo digna non fuissent. Hinc Origenes, magnus ille Bibliorum διοικητής, Evangelia ordine nostro recitans, *Ecclesiastico Canoni instituisse*, dicitur, Vid. Euseb. *L. VI. C. 25.* ipseque Eusebius ordine recensiturus Libros Canonicos, *primo*, dicit, *collocanda est sacra Evangelorum quadriga*; (sic ad antiquorum loquitur praescriptum) *quam deinde consequuntur Actus Apostolorum; post hos numerandae sunt Paulli Epistolae; inde prior illa Ioannis, et similiter Petri Epistola suscipienda est; postremo adiungenda, si ita videbitur, Ioannis Apocalypsis, L. III. C. 25.* Ceteros quidem libros ex al-  
bo

bo Scripturarum non expungit, attamen, ne censuram  
quarundam Ecclesiarum incurreret, *aliis examinandos*  
relinquit. Postea vero, re diligentius expensa, una-  
nimi Ecclesiae consensu, in numerum librorum divi-  
norum recepti sunt, quo de Commentatores passim  
agunt. Equidem *chronicus* hic *ordo* non est, aut tempō-  
rum articulis adstrictus, qualem Pearsonius, Capellus,  
alii; indagarunt; sed arbitrarius, at, ne sic quidem Apo-  
stolica auctoritate indignus. Vt enim DEVS Apostolis  
aperire noluit temporum intervalla, ita nec posteris,  
cum nihil intersit nostra, nosse annos et menses oeco-  
nomiae divinae, dummodo *tempus gratiae*, s. visitatio-  
nis observemus, *Act. 1, 7*. Nec methodus ipsa Evan-  
geliorum et Epistolarum nobis minus accurata videri  
debet, siquidem talis simplicitati Apostolicae plane  
congruebat. Saepe una aetas methodum aestimat,  
quam altera repudiat; olim, in homiliis sacris, ipse ne-  
glectus pro cultu erat, hodie magni res ar-  
tificii est, methodum ostentare. Ita vel intra unius  
seculi spatium, sapientiae humanae tam diversa est ra-  
tio, ut, quae prius admirationi erant, mox iterum con-  
temptui habeantur. Interim tamen semper hic locum  
habet illud: τὸ μαγὸν τῶ Θεῶ σοφώτερον τῶν ἀν-  
θρώπων ἐστίν. *1. Cor. 1, 25*. Quaquam igitur Libri Ca-  
nonici non illico ab omnibus fuerint recepti, aliqui  
eorum in dubium vocati, quaternio Evangeliorum  
aliquando separatim editus ac lectus, partes Canonis  
etiam divulsaе, traiectaeque, quin et ab Haereticis  
nefarie interpolatae; tamen singulari DEI providen-  
tia omnes conservati, sedula Ecclesiae cura per manus  
traditi posteris, ac per DEI gratiam hodiernum furti-  
tectique perstant. Omnes occurrunt in Synodi Lao-  
dice.

K

dice.

dicenae Canone LX., quem Cyrillus postea Hierosolymitanus secutus est; omnes recitantur ab Athanasio, Eusebio, Hieronymo, Nazianzeno, Amphilochio, Concilio Carthaginensi, Concilio Romano, ab Innocentio Papa, omnibusque aliis Latinis et Graecis auctoribus; quorum tamen ope, studioque non in Canonis dignitatem evecti aut asserti, sed tantum declarati sunt, ut publico Ecclesiae testimonio ulterius innotescerent.

§. XXXI.

Igitur, ut rumpamus ambages, et IX. scopum nostrum contingamus: *finitus est Canon, et ex intentione divina, per N. T. libros, obsignatus; nec ulla nobis, de novis, aut maioribus posthinc revelationibus, promissio superest.* Hoc caput Disquisitionis nostrae est, ad quod omnia, quae disputata sunt hactenus, collineant, quodque id eo pleniorum argumenti tam reconditi tractationem requirebat. Postquam enim totus orbis praeter expectationem factus est fanaticus, summum Ecclesiae periculum inde imminet, quod alii Scripturas V. T. nondum impleras, sed augmento novarum revelationum implendas esse contendunt, alii pro litera mortua habent, quae accedente superiore *ἐλλάμψει*, demum animetur, alii, ne quid commune cum fanaticis habere videantur, ad *omnipotentiam DEI*, quod veterum Haereticorum asylum erat, confugiunt, & saltem non *ἀδύνατον* DEO esse, *ἄνθρωπος θεοπνεύστου* denuo excitare, et per hos mundum convertere, aiunt. Pleriq; omnes eo pergunt audaciae, ut negent, ex Scripturis obsignationem Canonis ostendi posse. Vide praeter ceteros Barclaium in *Catechismo Quacker. sub finem.* Etsi vero illorum erat, *promissionem, de renovandis iterum revelationibus vel*

ullo

ullo apice docere, cum affirmanti, per leges Dialecticorum, incumbat probatio, tamen velut ex abundantanti, sententiam nostram his rationibus tuebimur:

1.) Notamus, characterem Messiae adventantis singularem fuisse: *omnia revelare*, quae doctrina undiquaque trita erat, nec plebeis ignota; cum *Mesias venerit*, Mulier Samaritana inquit, *revelabit vobis omnia*, 1o. IV, 25. Atque hoc Christus praestitit, cum *αὐτοπροσώπως omnia, quae audiri a Patre meo, annuntiabo vobis*, 1o. XV, 15. tum *διανοητικῶς*, per Apostolos et Evangelistas, qui *in omnem veritatem ducti, omniaq; edoceri fuerant*, 1o. XIV, 26. c. XVI, 13. Nec dissimulant illud Apostoli, sed nihil amplius circa *γνώσιω σωτηρίας* restare constanter affirmant; *omne Vobis consilium Dei annuntiavi*, Paullus inquit, *Act. XX, 27.* Et Petrus: *Deus omnia vobis largitus est, quae ad vitam et pietatem pertinent*, 2. Petr. 1, 3. Ioannes autem, Cerinthum confutans, qui novas revelationes iactabat, teste Eusebio *Lib. III. c. 28.*, *iam unctionem habetis*, inquit, (i. e. *χρῆσμα* revelationum in totum Ecclesiae corpus exundans) *et nos sis omnia*, 1. 1o. II, v. 20. Ex quibus liquido patet: Univerfam revelationum periodum, intra Christi adventum et Apostolorum excessum, penitus decurrisse.

2.) Deinde, nec desunt vaticinia V. T., quae cum Messiae adventu, visiones et Prophetias abrogatae, clare testantur. Nam *Septimanis septuaginta finitis*, inquit Angelus ad Danielelem, *consummabitur praevaricatio, obsignabitur iniquitas, & producet in ista sempiterna*; haecenus meritum Christi, eiusdemque fructum indigitat, post subiicit: *et obsignabuntur visiones et Prophetiae*, *Dan. IX, 24.* Verbum *𐤀𐤓𐤍* notat, obsignare sellas, quominus suum emittant splendorem, *Iob. IX, 7.* ut vel hinc

colligas, postquam Sol iustitiae pleno iurare ortus est,  
 obfignatas fuisse omnium visionum stellas, ut ne quidem  
 scintillare amplius videantur; sed hoc parum. Quin  
 potius attendimus ad nervum Prophetiae, (qui huc  
 redit: Quo tempore Sanctus Sanctorum peccata nostra  
 expiavit, & iustitiam sempiternam nobis attulit; eodem  
 quoque obfignatae sunt visiones et Prophetiae. Atqui  
 prius aëvo Apostolico consummatum, ut historia Evan-  
 gelica testatur, Ergo. Ita hunc locum interpretantur ve-  
 teres, aequae ac recentiores: Propterea signari visio-  
 nem et Prophetiam. Daniel Prophetæ dicebat, ver-  
 ba Tertulliani sunt, quoniam Christus est signaculum om-  
 nium Prophetarum, adimplens omnia, quae retro  
 erant de eo nunciata. Post eius enim adventum et pas-  
 sionem, non visio, nec Prophetia. Unde firmissime dicit, ad-  
 ventum eius signare visionem et Prophetiam, L. adv. Judaeos  
 p. 224. ed. Rig. Nervosè B. D. Svaningus: Servator  
 Christus visiones et prophetias sua incarnatione obfignavit;  
 partim, cum illarum de se veritatem, eventu praedictioni-  
 bus exacte respondente, confirmavit, quomodo literarum regia-  
 rum auctoritas, ex impressis annulo sigillis, solet aestimari,  
 1. Reg. XXI, 8. Esth. 8, 8. Jer. 32, 10, 11. partim, dum illas plane  
 abrogavit et sustulit, Math. XI, 13. Comm. in b. l. pag. 616.  
 Sic et B. Geierus: post Christum exhibitum obfignatas-  
 que visiones non expectandae sunt revelationes articulo-  
 rum fidei novae, Ebr. 1, 1. proindeque nostra prae hominibus V. T.  
 facile aestimari potest felicitas, 1. Petr. 1, 10. Comm. in b. l.  
 3.) Addo illustre illud Esaiæ vaticinium, quo Eccle-  
 siam N. T. compellat: omnes tunc filii tui erunt docti  
 a leboab, multaque pax (benedictio) filiorum tuorum,  
 Is. LIV, 15. Solent de hoc tripudiare Enthusiastæ, ut  
 constat, sed pro causa nostra vel maxime pugnat ora-  
 culum. Nam a Deo doceri, est per verbum auditum  
 insti-

institui, uti hoc summus Prophetarum, Christus interpretatur, quando repetito hoc loco pergit: *Omnis ergo, qui audivit a Patre, & didicit scilicet verbum, quod ego loquor, v. 63, ille venit ad me, Io. VI, 45.* Itaque ex Deo esse, et verbum Dei audire, Ioanni ἀντίστοχα sunt: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, qui non est ex Deo, non audit nos, Io. VIII, 47. i. Io. IV, 6.* Hinc Thessalonicenses θεοδιδάκτοι, seu a Deo docti dicuntur, *1. Thess. IV, 9.* cur? quia sermonem praedicatum et perscriptum acceperant, non, ut sermonem hominum, sed, quale revera erat, ut sermonem Dei, *1. Thess. II, 13.* et, quia quotidie scrutabantur Scripturas, *Act. XVII, 11.* Quicumque ergo per verbum lectum, et praedicatum possunt ac debent fieri θεοδιδάκτοι, seu docti a DEO, illi non indigent revelationum; obtento enim fine per media praescripta, cessant media aliena, et scopo minus proportionata. A fideles N. T. Ergo. Conf. *Ies. LIX, 21. Ier. XXXI, 32, 34.*

4.) Porro urgemus istud, quod Apostoli, sub ipsa revelationum periodo, Ecclesias suas ad verbum scriptum remittant, et a revelationibus ulterioribus eas avocent. Ita Paullus: *state, inquit, Fratres, et tenete doctrinas, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram, 2. Thess. II, 15.* et paullo post: *si quis non obedit sermone nostro per Epistolam, is pudore suffundatur, ne commercium habete cum illo, c. III, 14.* Alibi Epistolas suas, ut deposita, commendat, *1. Tim. VI, 20. 2. Tim. I, 14.* alibi posteris tradendas iubet! *quae audivisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, ut alios quoque doceant, 2. Tim. I, 2.* Demum etiam, Canonisationis vestigium in omnibus Epistolis aequè perspicuum non deprehendi, minime tamen γυναικίους illarum latebat Ecclesias, quarum cu-

stodiae committebantur. *Persfistite in his*, Timotheum  
 horratur Apostolus, *quae didicisti, et quae tibi concredita  
 sunt, cum tibi sat constet, a quo acceperis*, 2. Tim. III, 14. Dura-  
 bant quidem nonnulla visionum exempla, ad finem us-  
 que seculi, quo Achabus, septem filiae Philippi, Act. XXI,  
 9, ipseque Ioannes, Apostolorum ultimus vaticinabantur,  
 tamen, cum Pseudo-Prophetae simul emergerent, et si-  
 mulacra visionum ostentarent, sensim in Ecclesia Ap. hoc  
 donum cessavit, sic, ut sua aetate Ioannes id consumma-  
 tum agnosceret, dicens: *χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τῶ ἀγίω*,  
 id est, *cornu copiae revelationum*, quod promiserat  
 Christus ante ascensionem suam, *nunc habetis, et nostis o-*  
*mnia, nec necesse habetis, ut quisquam vos doceat, sed unctio*  
*illa de omnibus vos docet, sicut igitur vos docuit, manete in illa*,  
 1. Io. II, 20, 27. Et iam ante ipsum Petrus, postquam  
 vocem e coelo allatam se audivisse docuisset, addit; *mul-*  
*to nos firmiores habere Scripturas Propheticas, recteque face-*  
*re, qui attendant illis*. Cur ita? *quia non ex voluntate ho-*  
*minis, pergit, allata est ulla Prophetia, sed a Spiritu S. impul-*  
*si, loquuti fuerint sancti Dei homines*, 2. Petr. I, 21. conf. Col.  
 II, 18. 2. Tim. III, 16. Quod si ergo *χρῖσματι* Penteco-  
 stali nos acquiescere, et ulterioribus missis revelati-  
 onibus ad verbum *θεόπνευσον* attendere nos iusserunt  
 Apostoli, cuius pronum ac facile est colligere, revelatio-  
 nes, quoad fidem et vitam, Deum indulgere Ecclesiae  
 posthinc, noluisse.

5.) Nec parum hunc revelationum terminum sta-  
 tuminat Apostolica Ecclesiarum ordinatio, quas scriptis  
 suis monumentis plantaverant. Sic, simul ac ad Ephesios  
 scripsisset Apostolus, non novis revelationibus, sed *mo-*  
*numentis Apostolicis superstructis* dicuntur, Eph. II, 20. Et Co-  
 rinthiacae Ecclesiae, cum linguis *novis* adhuc quosdam  
 loqui



loqui intelligeret, Prophetiae s. doctrinae donum magis commendat, eos tamen, qui vaticinandi facultate potlerent, jubet explorare, quae scripserit, hominisne an Dei praecepta sint, 1. Cor. XIV, 37. Gemina de Ecclesia Cretenfi videas Tit 1, 5. c II, 1, 15. Nam illi, qui principem inter Apostolorum successores tenebant locum, munus obibant Evangelistarum, & iis, qui fidei sermonem nondum audierant, Christum praedicare, et divinorum Evangeliorum libros (generatim sumptos, inclusis Epistolis Apostolicis) tradere studebant, Eusebio testante L. III, c. 37. conf. ad h. l. Cl. Grab. in Spic. Patr T. I. p. 321.

6) In primis observari meretur, quod Apostoli adventum Christi in carnem, subinde connectant cum illustri eius adventu ad iudicium, eoque nihil amplius Ecclesiae ad consummandam salutem nostram restare, testentur. Sic Apostolus DEi gratiam praedicat, quod omnibus ditati simus per Christum, in omni sermone, et omni cognitione, quodque testimonium Christi, confirmatum sit in nobis, adeo, ut non destituamur in ullo dono: Quibus adeo cumulativim nobis concessis, quid porro Ecclesiae promittit? expectamus, pergit, revelationem Domini nostri Iesu Christi. 1. Cor. 1, 7. Idem et alibi adventum Christi celebrat his verbis: Illuxit gratia DEI salutaris omnibus hominibus erudiens nos, et quae cetera, expectantes beatam illam spem et illustrationem gloriae magni Dei, & Servatoris nostri Iesu Christi, Tit II, 11, 13. Petrus etiam primum monet iuos, ut memores sint verborum, quae praedicta sunt a Prophetis, et mandatorum, quae Apostoli Christi dederint, postea nihil aliud restare docet, quam adventum diei, per quem coeli solvendi, & elementa transitura sunt, 2. Pet. III, 12. Omitto Ioannem, qui manere suos iubet

bet *in unctione*, i. e. plenissima revelatione jam facta, annexa illico ἐπιφανεῖα ultima, ut, cum apparuerit Christus, habeamus fiduciam, nec pudeamus in adventu eius 1. Io. II, 28. Et alibi, clauso ultimo libro, Ecclesiam inducit anhelantem *adventum Christi supremum Act. XXII, 20.* Ex quibus omnibus colligas, ante ultimam Christi apparitionem, alias quascunque revelationes expectandas non esse.

7) Atque hinc est, quod coelesti quasi fulminae petit Apostolus, qui aliud Evangelium circumferant, *praeter id, quod annunciatum, scriptumque sit, Gal. I, 8.* Arguamur inde: Quicumq; Angelos e coelo, doctores in terra, et, quicquid *revelatorum est*, quin et se ipsum Scripturis S. subiicit, ille post confectum Scripturarum Canonem, revelationes non admittit. Atqui Paullus Apostolus, *Ergo.* Confer in h. l. B. Lutherum.

8) Denique ex loco classico *Hebr. I, 1.* in hunc modum concludimus: Quicumque omnium revelationum intervallis et modis *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* exhibitis, ultimum tandem revelationis intervallum et modum, *per Filium suum*, adiecit, is revelationes immediatas finivit, clausit, obsignavit. Atqui Deus ultimis diebus id praestitit, *Ergo.*

9) Ad extremum, ex epiphonemate Apocalypticum, hanc connectimus formulam: Quicumque Prophetiae suae aliam quamcunque addere, sub aeterni supplicii poena interdixit, is omnium revelationum finem ac terminum esse iussit. Atqui, Ioannes ultimus Apostolorum, idemque Spiritu Dei actus, sic egit, *Apo.*

*XXII, 18.* Ergo Canonem Scripturae S. clausum, finitum et obsignatum esse, demonstravit.

S. D. G.

Aug VI 49 (1)

ULB Halle

3

001 853 821



5b.

VD 18

VD 17

Retro /



22.  
19

L. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

# CANONE S. SCRIPTURAE OBSIGNATO,

Quam  
RECTORE  
ACAD. VITEMBERGENSIS MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECT. SAXON. HEREDE, etc. etc. etc.

PRAESIDE  
DN. IO. GEORG. NEVMANNO,  
SS. Theologiae Doctore ac Prof. Publ.,  
Confistorii Eccles. Assessore, Templi OO. SS. Prae-  
posito, et Acad. Bibliothecario,

*Domino, Praeceptore atque Amplifica-  
tore studiorum suorum demisse colendo,*

Publicae disquisitioni submittit  
M. GODOFREDVS VICTOR MOEHRING,  
Ord. Phil. Adiunctus,

Ad D. XXIX. Nov. MDCCCVII.  
H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, PRELO HAKIANO.

